HONORATI FASCITELLI

AESERNIENSIS

OPERA

NEAPOLI MDCCLXXVI.

EXCVD. RAYMVNDII FRATRES.

ILLVSTRISS. ATQ. ORNATISS. VIRO

NICOLAO PAGANO

IANVS VINCENTIVS MEOLA.

QVæ me admiratio teneret jam ex eo tempore, quum agrum illum Campaniæ ocellum, *Casertanum inquam, incolerem, amoenitatem loci ubertatemque, præter Regia, quæ olim Corolus Augustiss. Rex ædificia incohaverat, Romanæ magnificentiæ æmula, atque in præsentia Ferdinandus C. F. Pius, Felix R. N. ad umbilicum fere protraxit, intuentem, vix dictu facile est mihi. Sed quantum me antiqui Casertanorum mores tunc caperent, quibus nil est antiquius mihi, quantumque supra cetera naturæ bona perinde, ac artis ornamenta multo majore studio, magisque ex animo me de-*

 vin-

vincirent Civium officia , comitas item , ac benignitas , quibus ego verbis exprimam non video . Et quoniam Tu inter alios Cl. Vir. atque Ornatiss. Nic. Pagane, plurimum emines , qui me officio quovis obstringere annisus es , putare etiam debes exinde me incredibili arsisse cupiditate , ut , quamprimum quirem, aliquo literario munusculo tibi gratum animum significarem . Quo factum est , ut quovis pignore nollem præreptam mihi esse occasionem , ubi typis Raymundianis Hon. Fascitelli *Poetæ venustissimi opera meo studio, ac MSStis aucta prodirent, quo magis nota omnibus mea esset in Te observantia, ea nomini tuo sistendo : quum Tu is sis, qui meliores literas, literatosque homines maxime complectaris . Quod superest vitandi hoc loco mihi essent communes scopuli, nimirum extollendarum Avorum imaginum, quibus potissimum honestatissima tuos inter Cives Pagana gens his retro sæculis inclaruit ; quum optimi quique viri sæpe perdoleant adhiberi hanc laudem iis solere, qui non suis ferme meritis enitent, nec pro-*

pria

pria virtute prædicantur ; atque etiam ridiculum quum sit æquis barunce rerum extimatoribus illis potissimum nominibus efferri , ad quæ occupanda nomina nullus labor , neque studium , nullaque animi fortitudo, seu temperantia (sine quibus, tuo quoque judicio, nulla constat certa gloria) viam munivit. Sed an modestiæ tuæ, quæ, velut multa colorum venustate ceteras virtutes tuas exornat, offensio mibi pertimescenda , si quantum ornamenti ceperint ex Pagana gente literæ , in qua multi eas excoluerunt , heic fecerim recordationem aliquam? siquidem, pro omnibus , satis est Cæsar ille Paganus , qui adeo in medii ævi Historiæ cognitione visus est excellere ornamento quidem Italiæ , ac talium studiorum parenti Camillo Pellegrino juniori, ut ab eo summis laudibus exciperetur . Præterea vero , ex quo gentis tuæ soboles bæc , quæ supra CC. annos ex Nuceria transvecta egit Casertæ radices, non solum rata est veterem servare famæ splendorem , claris ad banc rem adbibitis affinitatibus, quas cum Vivaldorum nobi-

bili gente, ac Ricciarda etiam conjunxit; deindeque cum Pagana ipsa Nuceriorum, unde translata olim fuit; postmodum Laguniorum alia; ac nostris denique temporibus cum Pappalarda gente, ex qua mater tua Helena extitit (Ægnatii filia Ducis optimi, qui quum stipendia meruerit non uno in prælio Austriacorum, tandem Cæsaris Exercituum Marescallus *multo virtutis nomine decantatissimus obiit*), *sed etiam literarum fama increbrescere studuit; cui rei argumento esse possit Jo: Paganus unus, cultissimus Poeta, cujus carmina anteacto sæculo in publicam lucis usuram exiere. Quibus de causis nulli melius æquius dicata hæc erant elegantissima* Fascitelli *opera, quam cui a majoribus transmissum in literas omnes, ultra sæculi mores, studium est; quique præ ceteris quantum merentur illa (merentur enim de R. P. Literaria vix quantum credibile est) existimare possit, ac in sinu etiam gestare: proindeque cum iis quamcumque a me adhibitam diligentiam, ut illustrarentur, atque ab oblivione in*

cla-

claram lucem revocarentur illa scriptoris oppido singularis. Restat itaque, ut me ames, atque ut facis, Pagane optime, etiam studeas: dum in Te, tuasque res omnes D. O. M. favorem exopto. Vale.

HONORATI FASCITELLI
VITAE COMMENTARIVS

AVCTORE
I. Vinc. Meola.

QUæ olim Samnii regio, ea eſt hodiedum Regni Neapolitani pars valde nobilis, ut vernacule audit gli *Apruzzi*. ſed ea aliis aliquando finibus conterminata, quam quibus hodie metiri ſolet, Samnites populos continebat: ac præter vicos, quum primum pluribus diſtincta foret civitatibus, armis populiſque frequentiſſima, continuit quoque Æſerniam, ab ultimo Oſcorum in Italiam appulſu, urbem præcipuam, cum pauciſque illius ævi conferendam. In hanc tres eſſe deductas Colonias, poſtquam, exarſione bellorum cum Populo Romano, incolis vacua reddita eſt, Romani pariter ſcriptores memoriæ tradiderunt (1). Verum, quæ eſt temporum, rerumque omnium viciſſitudo, octies deinde everſa, iterum reſtaurata eſt, prout Æſernini habent Hiſtorici (2); atque ad veterem nominis famam revocata. donec, poſt Langobardorum tempora, a Nortmandis uſque regibus, ſive viris conjunctione regii ſanguinis

a prin-

(1) Vide Livium, atque ejus Epitom. cum Frontino, apud Cellarium, *lib.* II. *cap.* IX.

(2) I. Vinc. Ciarlantius *Mem. Iſtoriche del Sannio. lib. I. cap.* XIV. XXXIII. & ſeq.

principibus obnoxia urbs fuit; five libertate, ut ipsi perhibent, potius sua florens extitit adeo, ut Cives aleret plurimos fortunis item, atque animi dotibus celebriores.

II. Inter hos ergo cum stirpis antiquitate (3), tum divitiarum splendore ceteris longe præstitit Fascitella gens; in qua Marcus enumeratur, vergente Sæculo xv. vir singularis, qui rem paternam perinde, ac veterem avorum gloriam mirum in modum amplificavit. Nam Ferdinando Aragoniorum I. qui tunc temporis Neapolitanis imperabat, acceptissimus quum esset, Vectigalium primum, nomine regio, exercendorum præfectus in Peucetia constitutus, deinde Eques ab ipso renunciatus est (4). Proinde Margaritam uxorem duxit ex Caracciolorum amplissima gente, feminam, prout sæculi mores tunc ferebant, virtute animi, ac generis nobilitate ornatissimam: ex qua Ferrantium, ac Prosperum filios accepit, ac præter Corneliam, Honoratum; cujus potissimum caussa præsentes scribere commentarios aggressus sum. Sed ejus virtutum, antequam puerorum institutionem (quæ velut earum index est) in uno Honorato nostro perspiciamus, specimen esto, quod plurimis conlatis opibus, ut patriæ quoque ab his ornamento foret, civitatem Æserniam juverit, sublevaritque in extruenda a fundamentis Æde, cui D. Mariæ *Gratiarum* titulus est; itemque Monachorum, qui se *Observantes* appellant,

Con-

(3) An ex eadem gente *Alex. ex domo* Fassitelli, quem an. mccccxxv. recenset Vghellus inter Episc. Melphitenses? Vid. *Ital. Sacr. to. I. pag.* 917.

(4) I. Vinc. Ciarlantius; *lib.* v. *cap.* xxi. *pag.* 494.

Conlegio, illi adjuncto: quod est indicium in cive optimo pietatis simul, ac liberalitatis. Atque in hujus Ædis sacello, Familiæ nomine excitato, cum naturæ is tandem cesserit, anno nimirum MDXVII. magnifice quidem elatus, tumulatusque est; adhibita ad hanc rem arca lignea, quam, pro loculis, ea tempestate, viri nobiles habuere, ad sacelli latus suspensa (5).

III. Itaque Æserniæ natus est HONORATUS FASCITELLUS, carminum elegantissimorum scriptor, anno reparatæ salutis MDII. (6) cujus a teneris, ut ajunt, unguiculis ingeniumne præcox in rudiore palæstra, an pro dignitate potius excultum sit, per monumentorum inopiam, vix facile dictu est. Ego vero in eam abducor suspicionem, qui credam parentem extitisse ei ut in virtute reliqua animi informatorem, ita in litteris quoque optimum, inprimisque diligentem institutorem. Nam præterquamquod memoriæ proditum est, publicisque mandatum monumentis, inclaruisse plurimum litteris Marcum Fascitellum (7); ea erat insuper conditio temporum illorum, ut Æsernia, ex quo Max. Corvinum, Pontanianæ Academiæ unum, Pontificem acceperit, virum omnigena eruditione præditum, super veterem suorum gloriam, studia etiam, disciplinasque, cum eo, omnes in se recepisse facile videretur. Atque eo tractu temporis forte accidit, quod minime reticendum est, sive cali-

(5) Idem loco superius indicato.

(6) Id. eod. l. quem vide.

(7) Nic. Toppius his verbis: *Marco Fascitello d' Isernia, uomo assai dotto, ed erudito vien nominato con Margarita Caracciolo sua Moglie nell'* Esecuz. XXIII. 1528. fol. 174. a t. *nell' Archivio grande della Reg. Camera.* Bibl. Scripp. Neap.

lidis puer animis ad omnia quæque ardua protraheretur, sive malignitate potius fortunæ ex transverso urgeretur, ut ex alto delapsus, ætatis suæ anno XIII. (etsi alii alias senserint (8)), in humerum maxime lævum offenderit; ob eamque rem ipsum, quoad vixit, omnino gibbum reportarit.

IV. Circa annum MDXVII. peregrinatione inita ad litteras excolendas, Neapolim deductus, Pomponio Gaurico Geophonensi traditus est; viro imprimis celebratissimo, græcisque in litteris sapientissimo (9): de cujus laudibus summatim aliquid dicere operæ pretium esse sentio, quod exinde constabit non minimum lucis Fascitelli rebus afferri posse. Nanque is est Pomp. Gauricus, qui æmulatione quadam cum præcipuis ætatis suæ viris, quos sodales in Patavino Gymnasio nactus est, Gasp. Contareno, Jac. Bardulone, A. Naugerio, Jo. B. Rhamnusio, Hier. Fracastorio, aliisque (10), summa cum laude in conscribendis carminibus mellitissimis pueritiam exegit (11). Hinc apud Venetos diu, aliasque inter Italiæ nationes moratus, quum magno litterarum nomine auctus esset ab *Ammonii* latina interpretatione, quam juvenili prorsus ætate confecit, atque a divino fere *de Sculptura* &c. opere, in quo Platonis scribendi genus usurpavit, ad græcas tandem, humanioresque litteras Neapoli edocendas, reditu ad suos, adscitus est in Regia

(8) Luc. Gauricus, inter *Testim. Doct. Virr.* quem vide infra *num.* v.

(9) V. Ciarlantium l. super ind.

(10) V. Hier. Fracastorii Vitam, quæ præit edit. operum omnium Guasvæ typis Iac. Stoer MDCXXXVII. to. 2. in 8.

(11) Vid. Luc. Gauricum epist. ad *Ferd. Principem Salernitanorum*, quæ præit edit. Carm. Pomp. Gaurici *typ. Manut.* MDXXVI. *in* 8.

gia Studiorum Univerſitate (12): vir apud alienigenas magni tunc nominis, fere qui noſtris obſcurus evaſit. Ei ſe itaque FASCITELLVS ita adjunxit, totumque tradidit, ut ſentiret illico tacitos quidem, at certos validoſque animi impetus ad patefaciendum in cognata, ut ita dicam, elocutionis, elegantiæque facultate ingenium acre item, ac ferax. Ac proinde, quum in dies emicaret illud, atque ad græcam ſapientiam effingeretur (cujus penitiore deinceps cognitione idem inclaruit) eo Gauricum adduxit præceptorem, ut eidem libellum ſuum, quod raro intervenit, ſiſtendum eſſe judicarit (13): cujus tamen libelli titulus, vitio longinqui temporis, minus compertus eſt.

V. Biennio autem poſtea Eccleſiæ quamprimum dedere, ac ſe vovere adoleſcens ſtatuit: ſive quod interioris Philoſophiæ (quam ab amænioribus haudquaquam litterarum præceptionibus Gauricus ſejungebat) auſcultationes ad id eum incitarent; ſive quod ita ſecum ipſe ferret ad optima quæque ſtudia alacri animo excolenda liberiori quadam animi vacuitate opus eſſe. Quare Caſinum petiit, quo tempore Caſinatem moderabatur Familiam Vinc. Neapolitanus, nimirum anno MDXIX. eique nomen dedit (14). Quo loci tamdiu ſe continuiſſe videtur, ut non ſolum ad Sacra, ut moris eſt, primum peragenda, ſed ad ſacrorum etiam ſtudiorum abſolutionem perveniret. Manifeſto enim fit, priuſquam ho-

(12) V. Toppium, Nicodemum, Tafurium, ac Ioſ. Auriliam, in *Hiſt. Stud. Reg. Univerſit. Neap. to.* 1.

(13) Ade Luc. Gauricum, inter *Teſtimonia*, quem infra reperies *num.* V.

(14) I. Vinc. Ciarlantius eod. l. Plac. Diaconus I. B. Marius; Ughellus, aliique inter *Teſtimonia*, quæ inferius habes.

honoribus operam daret, ac præcipua familiæ Casinatis munera obiret, Venetiis eum versatum esse. Ut autem ego arbitror prædicatam magnopere a præceptore optimo, velut sophorum unicum domicilium, urbem Venetias, ante alias, appetere censuit; in qua ipse urbe adjumenta auxiliaque plurima a litteratissimorum hominum frequentia proposita sibi esse dignosceret ad ea, quæ inchoaverat studia, facili modo perficienda. Profecto enim florentissima urbs, eo tempore, Venetiæ erant; quum strepentibus ubique armis Gallorum, & Caroli Cæsaris V. a quibus Italia omnis miserum in modum vexabatur, disturbatas, velut suo nido, musas undique ad se invitaret imperio suo munita civitas: queis optata otia præstare tutis a communi naufragio polliceretur.

VI. Ut ut est Venetias ubi primum FASCITELLUS demigravit, in quibus sat plane traditur, ante annum MDXXX. esse demoratum (15), sensit revera novum sibi patefieri campum in quo felicius opera poneretur. Nam super Græcam, Romanamque poetices elegantiam, Italici quoque sermonis ad consequendam virtutem animum adeo adjunxit suum, ut ad jucundi atque ornati famam oratoris occupandam (16), ad quam vix sero & raro pervenitur, concitatis ipse gradibus progrederetur. Quocirca Sacrorum Librorum, Patrum, qui dicuntur, Ecclesiæ, ceterorumque monumentorum ecclesiasticorum studio, quibus ingenium, judiciumque ve-

(15) Vid. Petri Bembi *epist.* quæ Venetias ad N. perlata est an. MDXXXI. infra *Part. II. pag.* 21.

(16) Hoc ipsum arguunt Luc. Gaurici verba, int. *Testimonia*, *num.* V. quæque in *Indice Oper. Astronomicorum* ejus *to. I.* referuntur.

vere facri oratoris omnino exfculpitur, juvenis ita indulfit, ut etiam provecta ætate non parvam fui temporis partem iifdem attribuerit. Cui rei indicio effe poffunt Lactantii Firmiani fuo ftudio emendata opera, quæ Manutianis typis an. MDXXXV. in publicam lucis ufuram prodiere, fui præftantiffimi codicis ope fummopere reftaurata: ut non Firmiano plus, ex quo nata funt, quam ei, ex quo renata, debuiffe multis per eam ætatem juftis harunce rerum eftimatoribus vifum fit (17). Quare, non eft mirandum, fi Venetiis, antequam ea civitate difcederet, ad præcipuorum per id temporis virorum, litterifque celebriorum amicitias ineundas latiffimus pateret ei aditus; quorum e multis præftat amicorum par lectiffimum æque, ac nobiliffimum commemorare, Petrum nimirum Bembum, magni nominis virum; qui civicarum omnino rerum pertæfus, ut mufas coleret otiofiores, Patavinum in agrum tunc fecefferat: ac Paullum Manutium, qui, uno aliove anno, FASCITELLIANI ingenii, elegantiæque, ante alios, laudatiffimus extitit predicator (18).

VII. Sed jam tranquillatis urbis Romæ rebus, accitifque undequaque litteratis viris, fub initium regni Paulli III. Pont. Max. illuc, ubi litterarum emporium olim fub Leone X. ac prioribus Clementis VII. temporibus conftiterat, acer omnino vir, gloriæque avidus iter inftituit, circa ann. MDXXXV. (19). Quo quidem tempore Colotianæ videtur Academiæ

(in

(17) Ita Sebaft. Gryphius int. *Teftim.* infra, *num.* II.

(18) V. int. *Teftimonia*, quod eft primo loco inferius adlatum.

(19) Nullus dubito, quum Roma an. MDXXXVI. ad P. Aretinum Venetias fcripferit. v. *Par. II. epift. num.* XI.

[in quam Pomponianæ disjecta membra, annitente viro præclariſs. Ang. Colotio Æſinate, tandem coaluerant] Romæ nomen dediſſe ſuum : id quod imitata Colotii epigrammata, atque hendecaſillaborum, quibus, ut videtur, FASCITELLVS eamdem academiam frequentavit, emendata ratio ſatis oſtendunt (20). Ibique ut novam frugem amicitiarum collaudandarum, ſic bonam ad exercenda muſarum ſtudia inveniſſe, propter ſummam & viri auctoritatem, & urbis, quorum alter eum ſcientia augere potuit, altera exemplis, non eſt dubium. Ad quam rem declarandam ſatis ſuperque ſunt Paullus Jovius Comenſis, qui ex eodem fuit coetu [21], cuique, ut ſodali, morum ſimilitudine adductus, familiariter multum adhæſit : & M. Antonius Flaminius integritate vitæ, morumque ſuavitate & ingenii, ſupra quam quis dicere poſſit, ornatiſſimus; a quo ſummo quidem in pretio eſt habitus deinceps (22). Atque horum gratia cognitione digniſſimus aliis quoque plurimis, ut plerumque ſolet, factus eſt, qui in Urbe digniora obirent munera, litterarum fautores, atque ingeniorum eſſent altores meliorum. præcipueque Alex. Cardinali Farneſio, in cujus intimam brevi tempore pervenit familiaritatem, exinde vero Nic. Ardinghello Reg. Polo Cardinalibus, aliiſque; in quorum numero recenſenda eſt, atque in primis habenda Vict. Columna Romana femina celebratiſſima: quam virtu-

(20) Vide noſtras in *lib. II. Carm.* Adnotationes *num.* VII. ac XXVII.

(21) Vid. I. Franc. Lancellottum in Ang. Colotii Vita. Iæſæ an. 1775. in 4.

(22) Vid. inter *Teſtimonia*, ligata oratione conſcripta, quod primum aditur in fin. *Carm.* N. hujus editionis *pag.* 43.

tutum omnium dignitate, Italicæque poesis, qua maxime illa floruit, laude conspicuam ii ipsi sæpe, quos dixi, nobiles clarique viri, facto velut agmine, conveniebant (23).

VIII. Ut igitur FASCITELLUS magnis Romæ inclaruit amicitiis, sic apud suos, atque in tota Casinate Familia eo esse in honore cæpit, quem a studiis tantummodo litterarum, judiciique præstantia, & candore animi vix in illa sperare potuisset. Nam facillime, & in optimam partem cognoscuntur ii, qui se ad claros, potentioresque viros contulerunt: quibuscum, si frequentes sunt, opinionem afferunt populo eorum fore similes, quos ipsi delegerunt ad imitandum. Quo, credo, factum est per hæc tempora, ut ad procuratorium Casinatis Familiæ munus exercendum seligeretur (24); ob eamque rem Neapolim, atque ejusdem Regni provincias, in quibus illa ditiones retinet amplissimas, visendam susceperit. Nam & ad Massicum montem in vico commoratum accepimus, cui *Divæ Annæ* nomen est an. MDXXXVII. dein XXXVIII. & XXXIX. in *Cetraro*, qui ad Consentiam locus in Brutiis positus est; atque inter veterem, & novam Theatem, ubi Monasterium *Divi Liberatoris* nomine, antiquissimæque originis incolitur: quorum ditioni locorum adjectas insuper regiones, sive pagos (facile ut pro latifundiis eos habere possis), Casinas Familia imperio suo adhucdum moderatur. Sed harum ipse mansionum elegantissima carminibus suis monumenta posteris reliquit; præterquamquod, datis ad amicos litteris,

b

ea-

(23) V. nostras ad *Carm. lib. III.* adnot. & infra *Part. II. pag.* 32.

(24) Luc. Gauricus int. *Testim.* soluta orat. conscr. *num* V.

earum in illis recordationem fecit (25): in quibus indicium facere non prætermisit de adita florenti tunc Consentinorum Academia, quum in *Cetraro* esset, dato in laudem Cesaris epigrammate, quo Brutia terra Imp. Carolo, post regressum ejus ab Africa, ob fractas barbarorum vires, pacatumque Italum mare, grates refert immortales (26).

IX. Sed præter hæc, nonnulla alia loca repetere consuevit; ac Neapolim, Romam, Æserniam, super alias Italiæ civitates, non una vice revisit, amicorum jucunda illectus consuetudine: ut apud eos, qui studiorum omnium, voluntatumque consensum retinerent, diverteret quam sæpissime. Inter quos præcipuum obtinet locum Jo. Franc. Alois, FASCITELLI affinis (ob cognationem cum Caracciola gente, a qua meternum ambo genus traxerant), qui a patria *Casertæ* cognomentum nactus, melioribus integrioribusque dabat operam litteri; atque ad agri Casertani delicias M. Ant. Flaminium, Gal. Florimontium, Jac. Pontiettam, aliosque interdum excipiebat hospites, viros multis nominibus laudatissimos (27). Neapoli vero cum Scip. Capycio, non vulgatæ laudis poeta, atque in Neapolitana Curia Carolo Cæsari acceptissimo, quandiu is principe in urbe se continuit, conjunctissime vixit; illique plurimo fuit adjumento in scribendo, seu potius limando celebratissimo, *de Principiis Rerum*, poemate (28): eo maxime tempore, cum Capy-

(25) V. *lib.* I. *Carm.* n. IX. *lib.* II. *n.* VII. & *Parte* II. operum N. epist. *n.* I. III. IV. & V.

(26) V. Nostras in *lib.* I. *Carm.* Adnotat. *num.* V.

(27) V. nostras in *lib.* I. *Carm.* adnot. *num.* III.

(28) Vid. inter *Testimonia* lig. otat. conscripta *num.* II.

pyciana domus, ad imitandos Carbonianos, Summontianoſque (qui jam ſiluerant) litteratorum cætus, optimo cuique pateret; ut ad eam doctrinam, quam ſuo quiſque ſtudio conſecutus eſſet, adjungeretur uſus frequens, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperat (29). Qui fuit etiam uſus addictis, per ea tempora, ad ſubſtinendum veterem Italicæ poeſis nitorem decentiamque, Bern. Rotæ, Angeloque Conſtantio, quos FASCITELLVS quoque adibat (30); et in quorum ædibus, nullus dubito, eam meditatum eſſe, nunquam ſatis laudati viri, Franc. Petrarchæ carminum editionem; quam ope Mſti codicis, ſtudioque ſuo multis expurgatam erroribus, ſupra omnes antea in lucem editas, Paul. Manutius formis vulgavit elegantiſſimis an. MDXLVI. (31).

X. Quæ circa tempora cum Romam ſæpius regrederetur, illic multæ famæ viros ad ſuam adjunxit amicitiam, atque in ſuam laudem advocavit Faernum, Latomium, Myrteum, Fumanum, Jo. B. Poſſevinum Ant. Bernardium Mirandulanum, Hann. Carum etiam, Maffejum Cardinalem, ejuſque a ſecretis Baſſanum, Vaccam inſuper, Franchinium Conſentinum, J. Vinc. Vitalem Panormitanum, alioſque, qui in Jovianam, ſive Romanam (ut eam Alciatus vocat (32)) academiam venirent (33). Quam quidem Academiam Comenſis ci-

b 2 vis

(29) De hac re adeudus Paulus Flavius, epiſt. ad *Ludov. de Toleto*, quæ præit *El. Donati in P. Virg. Maronis Æneid. comm. Neap. an.* 1534. *in fol.*

(30) Vid. inter *Teſtimonia* ſol. orat. frag. epiſt. Hann. Cari *n.* XVIII.

(31) Vid. inter *Teſtim.* infra Hier. Ruſcelli verba *num.* XIX. & XX.

(32) And. Alciatus, in epiſt. ad Jovium, data a n. 1549. quæ in fronte eſt *Hiſtoriar. ejuſdem Jovii. Baſil.* 1578.

(33) V. paſſim N opera, atq. *Elogiorum Jovii* libros, in quibus ſparſa Academicorum epigramm. habes.

vis Romæ, frigeſcente Ang. Colotii (de quo ſupradiſtum eſt) jam exactæ ætatis viri alia, ne aliquis litteratorum conſeſſus in urbe deſideraretur, excitavit, circa an. MDXL. Quare, ſi recte hæc perpendantur, videtur ſingularis vir FASCITELLVS cum illis fere antiquitatis conferendus τοις παγκρατιασταις eſſe, quos de una in aliam civitatem, ut in arenam ubique deſcenderent, atque in omni palæſtra ſuas experirentur vires, cum melioribus ſæpius congrediendo, pertranſiſſe, proditum eſt, ævitati nomen traditurOS. In quo illud memoria dignum arbitror eſſe, quod quocunque verſatus eſt in loco nullas ſuſceperit inimicitias, nullumque, etſi ab aliquo tentatus, quoad ſcimus, detrimentum fecerit exiſtimationis. Denique in patriam, ac Samnii, Peucetiæque loca alia venit an. MDXLVIII. quum Ferrantius, ac Proſper fratres ejus, jamdiu maſcula deſtituti prole, Quadraræ genti Sulmonenſi ſatis quidem illuſtri, duas nuptui dederant filias: qua in urbe etiam Petrus ex Berardicella gente, non minus honeſto loco nata, Corneliam multis antea annis matrimonio acceperat ſororem (34).

XI. Noviſſimo autem tempore Paullo Pont. Max. e vivis ſublato, quum ad eam dignitatem evectus eſſet Jo.M. Cardinalis de Monte, qui ſtatim nomen accepit Julii III. accidit anno MDL. ut nuperus in Eccleſia regnator, quo præſtitæ benevolentiæ Innocentio puero, cujus altor in legatione Bononienſi paullo ante munificus fuerat, gratia ſtaret, ad eum in ſuam gentem ſplendidiſſimam cooptandum Balduinum fratrem adduxerit: qua-

(34) J. Vinc. Ciarlantius *lib.* V. *cap.* 21.

quamobrem illum omnes Innocentium de Monte salutarent. Prætereaque ad viam, semitamque aliorum eidem honorum patefaciandam, ut animi simul accederet institutor, ac in omni ingenua disciplina perpolitor, curavit, delegitque ad eam rem perficiendam eximiæ virtutis fama prædicatum HON. FASCITELLUM (35). Neque mirum, ubi Romanæ purpuræ honore a Pont.Max. Innocentius adolescens honestatus est, si suus in litteris institutor in luce, atque oculis omnium esse cæpit; ut amici, ignotique eum multi adirent, aliique sæpius requirerent ad ea maxima conficienda, quæ vix alio modo quirent. Cui rei argumento esse possunt litteræ humanitatis plenæ ad Petrum Aretinum datæ; cui quanto adjumento foret FASCITELLI amici industria, officiumque apud tales principes viros ex illis satis superque elucet (36). Verum, qua hic fortuna verius, quam studio in tali officio se gesserit, dicere parum præstat; videtur enim fatis adversantibus ad id eum accessisse, ut alios suo exemplo monitos vellet ad nunquam bonos sperandum exitus adhibitæ disciplinæ, si quando mala mens, pravusque animus traditi juvenis renitendo valeat vim documentorum omnem infringere, præceptorumque vel optimorum.

XII. Duobus interim elapsis annis, cum adhucdum gratia polleret plurimum apud Iul. III. Pontif. Farnesius Cardinalis, eo annitente (37), ob meritum institutionis, quam juveni Cardinali præstitit, Episcopus

(35) Petrus Victorius *epist.* ad Hon. FASCITELLUM, inter *Testim. num.* IV. aliique.

(36) V. N. epist. ad *Petrum Aretinum Part. II. num.* XII. nostrasque in eam adnotat. *pag.* 34.

(37) Auctor est Jo: Matt. Toscanus, inter *Testimonia*, infra *num.* X.

pus Insulanus in Brutiis renunciatus est: quem honorem præstanti ingenio vir, musisque omnibus carus numne fortunæ beneficio tribuerit, an in tetricos illius vultus verteret, nescio. Nam, etsi per initium obtentæ dignitatis credendum ad spem liberalioris fortunæ animum adjecisse; paullo tamen postea accidit; ut periculosam omnino demandatam sibi esse provinciam in itinere ipso sentiret. In alto enim agitatus, adversaque actus tempestate & præcipua, quæ secum ferebat, mari demergere est coactus, quo naviculæ levaret onus; &, quod rei caput est, vitam sibi, suisque ut ea de cautla servaret: præter ea, quæ, ut primum in littore Insulanorum stetit, a latronibus circumseptus, cum vita ipsa adactus est commutare (38). Verum non adeo ab his respiraverat asperis rebus ipse, quum, ut moris est, novo bellum Episcopo indictum est, vere insolens, omnesque exerens malignitatis dentes a fere caucaseis illius civitatis incolis; quos inter agmen duxisse, traditur, quemdam Civitatis tunc regulum, cognomine Catalanum: qui, ut summo viro, dignitatique injuriam majorem faceret, eumque ab immerita eliminaret urbecula, personatorum lymphatorumque concita turba, quæ in ipsum probra & maledicta quovis genere conjiceret, magnam curam adhibuit (39). Quibus addi potest, quod a majoribus accepisse fide digni referunt, nimirum evenisse aliquando, ut quum oran-

(38) V. Ant. Zalatæ, seu *Lalatæ* (ut utroque modo scribit Turchi collector) epistolam ad N. quam habes *Part. II. pag.* 23.

(39) Ita per litteras V. Cl. atque elegantiss. Jos. Carullo retulit, qui hodiedum Insulanæ præest Ecclesiæ Episcopus: *Fu reso bersaglio* (FASCIT.) *de' Baroni di quel tempo, di casa* Catalano, *i quali ingiustamente lo perseguitarono, e posero in ludibrio con certe indecenti mascherate opprobriose alla Vescovil dignità &c*

orandi gratia roſtra FASCITELLUS conſcenderet, allata ei eſſent pugillaria ab inſimulantibus ſe pietate in Deum, Divoſque abductos, vulgata quædam velle populo a roſtris inuſitata, uti fit, prodigia; re autem vera ſcommata, quæ continerent, ac ſatyricæ fæcis plenas admodum res in dicentem, quas inſcius omnino ipſe de ſe publice dicturus eſſet (40). Sed hæc odia vetus *auri ſacra fames*, proverbio ut increbruit, in præſulem concitavit; ſiquidem uſurpata Eccleſiæ bona, ſeu campos frugiferos, illius olim redditibus addictos, ab injuſtis dominis repetere contenderat: quos inſequens deinceps Pontifex Caracciolus recuperavit (41).

XIII. In qua tamen famæ, fortunarumque jactatione virum æque morum innocentia tutum, quam animi fortitudine conſtantem nulli neque homini ſuccubuiſſe, neque perturbationi animi, nec fortunæ tandem declarat illud, quod ſtabili ſemper firmaque ratione omnia hæc contempſiſſet. Donec *inviſam diis*, ut dicere ſolebat, *gentem*, *bonorumque hoſtem pertinaciſſimam* (42), poſtquam ſatis impie nefarieque per annos, alia ſuper alia, auſam forti animo tuliſſet, tandem, ut deſperatis prudentia vetat adhibere medicinam, eam deſerendo, *crudeles terras*, ut ille ait, *fugitque litus avarum*. Sed difficile ad fidem in tam antiqua re, vel exacte affirmare, in quem circiter annum in-

(40) Non alio modo referebat Marianus Amato anteceſſor Epiſc. Crotoniata, qui conterminam Inſulanæ Eccleſiam ſuperioribus annis rexit; quod a quodam Conleg. Capit. *Decano*, ut ajunt, *Montalcinio*, exactæ ætatis viro, acceperat.

(41) Ughellius *Ital. Sacr. to.* IX. in *Epiſc.* Inſulenſibus, quem vide.

(42) Vid. N epiſt. ad Seripandum Card. *Part.* II. *n.* XIV.

inciderit ejus ab Insula Civitate discessio ; etsi, mea quidem sententia, non supergressa est annum MDLXI. prout datæ ad Hieronymum Card. Seripandum, veterem amicum, litteræ gratulationis, officiique plenæ legentibus fidem faciunt (43) : quocirca a veritate plurimum aberrare eos, qui in Brutiis paruimper immoratum ipsum sunt arbitrati. Quód autem indubium est meliori dignum fortuna virum, etsi civilibus tandiu fluctibus jactatum, a sanctioribus integrioribusque studiis suis, subseciva nactum tempora, non defecisse patet ; quin potius, eoquod studia ferverent Ecclesiasticorum, concertationesque cum Heterodoxis hominibus in Tridentino Concilio *de Reformatione*, de ea maxime re, ut tempus poscere videbatur, opus conscripsit : quod litterarum, non satis æqua fortuna nobis invidit. Nihilosecius tamen & latino descriptam esse sermone tractationem, atque in Dialogi formam rescire est ; insuperque legibus ornatam, quæ XII. Tab. ad instar essent : in quas ab Ecclesiæ veteribus, quæ *Canones* audiunt, statutis sapientiam derivatam esse, præ stili candore, elegantiaque, penitiorem non dubitamus (44). Ceterum hæc ejusdem scripta in manibus amici Seripandi per totum annum MDLXII. resedisse liquet (45), antequam is Tridentum proficisceretur.

XIV. Interea vero tum Seripandus, tum amici so-

(43) Sic exiciptur a subscriptione epist. N. ad Seripandum, *num.* XIV.

(44) V. FASCIT. epist. infra *Part.* II. *num.* XVI. & XVII. ac nostras ad eas adnotat. *pag.* 51. & 52.

(45) V. Seripandi epist. *num.* III. infra *Parte* II. *pag.* 46.

ſodaleſque magna ex parte , qui Tridento , pro ea , de qua dictum eſt re detinebantur, quum ad eum locum, ut interveniret, multis adhortationibus ſuaſionibuſque peramantiſſime eum invitarent (46) ; multis attamen de cauſſis , quin illuc ſe conferret , prohibitus eſt . Nam & podagræ primum doloribus , dein febri occupatus; poſtremo , ut ſe nullo cum exiſtimationis ſuæ detrimento Epiſcopatus dignitate abdicaret; itemque ut partes faveret cognati ſui Hannibalis Caraccioli , recti exempli viri , qui ad ejus Eccleſiæ capeſſendum regimen ſummopere idoneus videbatur, aliquo tempore in Urbe reſtitit : quo magis auctoritate ſua ad id animus Pii IV. Pontif. Max. incitaretur , atque inclinaret (47) . Quare non ita multo poſt , quod valde expetebat , juſtis de cauſſis impetratus , Eccleſiam Inſulanam Caracciolo , ut ajunt , *reſignavit* : ubi de redditibus ejus dimidium (48) , ſive ut alii autumant , nummos CCC. aureos in annum quemque recepiſſet (49) . Atque ea re confecta multi ſunt , qui eum Concilio interfuiſſe conſtantiſſime adfirmant , nam illi ſubſcripſit (50) ; immo auctores quoque ſunt , ante hoc , tempus compluribus annis in eo verſatum eſſe (51) : qua in re ſtabilienda cura non deeſſet noſtra , ſi qua ad verum via inquirentem ferret . Quod autem perdolet , neque addubitari ullo modo poteſt , cum Romæ eſſet an. MDLXIV. vir omni ſophia , ac muſis ipſis

 in-

(46) V. Seripandi epiſt. eod. l. *n.* XV. *pag.* 47.

(47) V. epiſt. FASCITELLI *num.* XVI. infra .

(48) V. Noſtrum eod. l.

(49) J. Vinc. Ciarlantius, ut ſup.

(50) Legitur in Catal. Epiſcop. *Concil. Tridènt.* edit. Balleon. *pag.* LXXV. Ven. *an.* 1737. & Labeanæ *to.* XIV. *col.* 927. Pariſ. *an.* 1672.

(51) Idem Ciarlant. eod. l.

innutritus debitum naturæ FASCITELLVS reddidit (52); ut ea urbe dignus, quæ artium, ſtudiorum, dignitatumque mater ſemper extitit, in ea ſomnos caperet æternales, ibidemque humo traderetur.

XV. Fuit itaque FASCITELLVS ſatis infirma, quoad vixit, corporis valetudine (53); animi vero præſtantia, neutiquam vulgata. Sed in illo talis eluxit oris hilaritas, ut ea de gratiam a cunctis promereret, videreturque ad ſuaviſſimos eſſe lepores natura ipſa comparatus; in hoc ingenium ſubtile, vivax, ejuſque præclarum admodum judicium: præter ſermonis eam præcipue elegantiam, qua jucundiſſimæ apud omnes, omni tempore, conſuetudinis eſſe judicaretur (54). Nanque urbanis ſic ſalibus refertus erat, ut de ſententiarum, facetiarumque conlectione in publicum emittenda, eſſet, qui eum conſuleret, Pattius, judicemque in ea re conſtituerit FASCITELLVM unum (55). Iudicio vero ſic ab ineunte ætate ſupra modum ſubactus, ut, dum Venetiis demoraretur adhuc juvenis, a Jo: Pollio ad limandum, exornandumque italice ſcriptum Poema, cui nomen *Triumphi*, adhiberetur; præ quo nemo videbatur illi ſcienter adeo Latinam, Græcam, atque Italicam ſapientiam profiteri (56). Præterea audi-

(52) Sic Ciarl. Plac. Diac. Mari, Ughellus, aliique, quos vide.

(53) Non alio modo ipſe de ſe ſcribit ad Serip. epiſt. *num.* XVI.

(54) V. Manutium, & Zucchi, alioſque inter *Teſtimonia*, ſol. orat. conſcripta.

(55) Auctor eſt Lud. Domenichi, int *Teſt.* infra *num.* XXII.

(56) Epiſt. ad *Petrum Aretinum*, quæ extat *lib. Epiſt. ad eund. Aretin.* ſic habet Pollius: *D. Onorato* FASCITELLO *da Sergne, nella lingua Volgare, Latina, e ſenza forſe Greca, Uomo giudicioſo* & infra . . . *acciò con eſſi i miei* Trionfi *viviſti, di poi della cenſura voſtra, corretti, e dal giudicio dell' uno, e l' altro amico noſtro, D. Onorato affermati poſſano in luce uſcendo ec.*

ditores habuit, si qua est ei ab his quoque augenda laus (incertum quo tempore, quare etiam non suo loco videor de his verba facere), Marcellum Riccium, Neocastri in Brutiis civem (57); cujus latina quædam non injucunda typis mandata sunt carmina (58): Sertoriumque Quadrimanum Consentinum, fortasse dum Romæ esset adolescens hic an. MDLXII. (59) ut conjectari ex nonnullis licet (60).

XVI. Contra consuetudinis, comitatisque ejus quam non solum honestioribus dandam esse natalibus, verum etiam studio suo, ante me, sunt, qui recte animadverterunt (61), testimonium apertissimum amicitiarum, preter quas supra recensui, spectatissimarum numerus, prope innumerus, esse potest. Quarum, etsi ætas longingua plæraque nomina in abdito statuerit, præstant tamen illa semper Alf. Avali, Caroli Cæs. V. exercituum Imperatoris; Perenotorum, sive Granvelæ patris, filiique, ejusdem Cæsaris a secretis, intimisque consiliis, sapientissimorum; ac Petri Toleti, qui Regis vices in Regno Neap. gerebat (quæ & quanta nomina!) filiorumque; & aliorum principum virorum, amicitiam quorum ad extremum coluit, servavitque. Præter quos bellica laude nobiles adamavit, strenuosque præsertim milites, Garsilassum la Vega Toletanum, ac Marium Cardoinum, virum nobilem Neapolitanum; quorum primus Franc.

 Pe-

(57) V. int. *Test.* sol. orat. signarum *num.* XXIV.

(58) V. int. carm. in *Jo. Castriota laudem* edita in *Vico Æquensi an.* 1585. *pag.* 207.

(59) V. Matt. Ægyptium *in Vita Sert. Quadrim. Neap.* 1714. in 8.

(60) V. Adnot. in *lib.* I. *n.* V. & II. *n.* XXVII.

(61) Manut., inter *Testim.* infra *n.* I.

Petrarcham imitatus, præter quæ ſplendido carmine latine inter amicos edidit, Hiſpanico, ante omnes, ore ſuaviſſime muſas loquentes induxit (62); alter autem, lectu digna, in MSStis reliquit italice ſcripta epigrammata (63). Id quod haud ullo modo erat omittendum: ex quo in proverbium venit, *principibus placuiſſe viris*, non ultimam eſſe laudem cenſendam.

XVII. Nunc reſtat, ut de ſcriptis, ſtiloque ejus ſententiam feramus, ne nimias ejus laudes a libri hujus exilitate, atque argumenti tenuitate potius imminutas arbitretur minus æquus aliquando Lector. Nam, præterquamquod nobis demirantibus judiciumque de ipſo ferentibus, eorum, quæ ſcripſit, meliora invidit temporum edacitas, ut eſt *de Reformatione* ſacrum profecto opus, de quo ſuo loco; ac longum, doctiſſimumque *de Rebus ſacris* Poema, heroico carmine exaratum, cujus non dare laciniam ex lib. III. piaculum duxi (64); prætereaque italice, quæ multa ſcripſit (65), de quibus deguſtandæ aliquæ ſunt epiſtolæ familiari ſtilo deſcriptæ: quæ tamen ſuperſunt ea ſunt, ut ab ungue diſcere quis poſſit leonem. Profecto enim eccui legentium Maronis in *Alfonſo* gravitas, Propertiana in elegiis grandiloquentia, in odis Horatianum decus, pariterque in epigrammatis Catulli gratia, lepoſque, tamquam junctis cornibus, in oculos

(62) V. Nic. Antonium, *Bibl. Hiſpan. pag.* 393 Carmina edita ſunt typis *Gabr. Gioliti de Ferrar. Ven.* 1604. *in* 8. quæ vero lat. ſcripſit partim in Manuſcriptis Seripandianis adſervantur, partim edidit amicus noſter vir Doctiſs. Franc. Daniel, in fin. *Carm. Ant. Tileſii* Conſent.

(63) Vid. Adnot. noſtr. ad Epiſt. 1. A. N. infr. *Part.* II. *pag.* 29. & 30.

(64) V. quæ ad *lib.* III. Carm. N. adnotavimus *pag.* 73.

(65) V. int. *Teſtim. num.* XXIII.

los non incurrent? quæ neque in pedestri, ut ajunt, imitatione, neque in verborum delectu tantum Lectori quærenda sunt; sed in Romana magis indole, qua subacti studio illarum rerum dictata hæc esse facile pernoscant.

XVIII. Cæterum, quæ existimatio non erit hominis oppido singularis, qui, quæ nobis ætas tradidit, seu potius amicorum, studiosorumque diligentia servata sunt, animi caussa fecerit; eorumque despectum talem habuerit, ut divini quoque poematis nec vigilem, nec gravem aliquo modo curam susceperit? Nunc quæ sapientia, doctrinaque, quæ deinde sublimis in illis pulcritudo suspiceretur, si extarent omnia! Sed ego illius sum opinionis, ut immorari quis meo judicio possit, non sine bonarum emolumento litterarum, in examinandis hendecasyllabis, quibus non tantum veteribus proprius accessit FASCITELLUS, quam illos æquando, cum eis de gloria contendere videatur. Quod quidem ei bene cessit, & pro rei merito factum est, quandoquidem tale scribendi genus, ut in hac nostra Urbe principe per Pontanum revixerat, in hujus Regni provinciis ad exactam maturitatem ejusdem FASCITELLI opera pervenire decuit.

INDEX
OPERVM
HONORATI FASCITELLI.

EX LIB. I. CARMINVM.

I. *Numquam non Musis, numquam non vatibus aeque.*
Alfonsus. Poem. ad Heroin. Piscar. edidit primus omnium Io. Ant. Vulpius in fine poematum Actii Sync. Sannazarii, Altilii &c. in 4. an. 1711. repetiitque an. 1751. in 8. cum hac præfatiuncula: *Alfonsus: e Cod. Chartbaceo in folio, ut vocant, Viri Celeberr. Apostoli Zeni; in quo nonnullorum poemata Latina, & Etrusca, item alia soluta oratione scripta continentur, pag. 14. Huic Codici nota num. 1. apposita est.* Exinde Franc. M. Riccius Casinas illud denuo typis mandavit, in fine Capycianæ edit. simul cum Eleg. ad illum, Venet. ann. 1714. in 8. cum hac animadversione, quam de multis, quæ inconsulto præfatus est, selegimus pag. 297. *Ex Cominiana editione* 1751. *Carm. Altilii, ac* FASCITELLI *pag.* 37. *in qua poema hoc notatur* num. 1. *Lacunas in illa ex Zeniano Codice duas, alteram initio* v. 12. Sic ego * id. *alteram in fine* v. 71. Cæsaris .... *ita expleri commode posse duximus*: Sic ego ob id *&c.* Cæsaris aptet, *vel arctet*.

II. *Audistine olim magni post Herculis arma.*
Epigramma hoc edidit ante alios Paullus Iovius, in *Elogiis Virorum armis illustrium*, Florentiæ an. 1552.

III. *Quis mibi non ruri me suadeat esse Capyci.*
Elegiam publici juris fecerunt, cum reliquis FASCITELLI Carminibus Io. Matt. Toscanus inter *Carmina Ill. Poetarum Ital. Lutetiæ apud Ægid. Corbinum* 1576. *to.* 2. *in* 8. Hinc. Io. Gagnæius in opere, quod inscribitur: *Doctiss. nostra ætate Italorum epigramm. lib. ult.* Miscellaneorum *ex diversis Lat. per Nic. Divitem in* 8. Postmodum Ianus Gruterus in *Deliciis* CC. *Ital. Poetarum* &c. *ex offic. Jonæ Rousæ* 1608. *to.* 2. *in* 8. postremo vero nupera Florentina editio, cui titulus: *Deliciæ Italorum tom.* IV. ac Vulpius cum Sannazario, aliisque ut supradictum est. Verum in nostra Editione τῳ ἀστερίσκῳ Elegiam notavimus, quandoquidem multa in ea sunt immutata ad fidem Codicis Cartacei, *in quarto*, ut moris est dicere, qui in Musæolo nostro adservatur. Vide, quæ satis superque enarrata sunt in *Adnotionibus* nostris ad *lib. I. num. V.* atque in fronte *Variantum Lectionum pag.* 65.

IV.

IV. *Magnanimi heroes, ſalvete, haud parva ſupremi.*
Iovius ibidem, ex quo omnes habent.

V. *O Graiis merito, & ducibus praelate Latinis.*
Ex MSto apud Ianum Vinc. Meola pag. 24. a t.

VI. *Nunc ſupremo miſſum fac tempore ſervum.*
Ex MSto, minima forma, apud Virum Doctiſſ. Franc. Danielem. Cartaceo item; in quo nonnulla Bembi, Caſæ, Tyleſii, Flaminii, aliorumque.

VII. *Ne lacrima Ramberte; graves in fata querelas.*

VIII. *Devotas quid opus diris inceſſere ficus.*
Edidit Vulpius pag. 28. edit. ſuæ 1751. in 8. his verbis: *Haec duo epigrammata in eodem Codice cartaceo, in quo Alfonſus adhuc inedita latebant pag. 28. De quodam Veneto adoleſcentulo e nobili Barbarorum genere, qui quum ficus decerpendi gratia in arborem aſcendiſſet, in puteum delapſus, inde incolumis extractus fuit.*

IX. *Annii nemoris ſacra.*

X. *Quum quiſquam maris aeſtibus.*
Habent omnes libri editi.

XI. *Poſtquam relegis omnium.*
Extat in fine Operum Iovii edit. Baſileæ in fol. 1578. to. IV.

XII. *Ergo videmus lumine hoc ſpirabili.*

XIII. *Servata per te Patria quod tum maxime.*

XIV. *Noſtra damus, cum verba damus, nam fallere noſtrum eſt.*
Ex MSto apud Franc. Danielem.

EX LIB. II. CARMINVM.

I. *Farneſi, tibi non ſat eſt, ut aiunt.*

II. *Eſt quidem hoc aliquid, fatemur omnes.*

III. *Vnus, qui reliquus mihi patronus.*

IV. *Nae debent Iovio viri elegantes.*
Legitur in fronte Elogiorum Iovii *Virorum litteris illuſtr.* Florentiæ an. 1552. in 4. ex quo reliqui omnes deſcripſerunt.

V. *Iovi, quem pote nil novi latere.*

VI. *Giberti ingenium bonas per artes.*

VII. *O inter veterem, & novam Theaten.*
Mirum, quod omnes ex hoc Epigrammate FASCITELLI Carminum edi-

editionem exordiantur: præter Vir. Cl. *Io.* Ant. Vulpium in prima, & secunda editione, quas supra indicavimus.

VIII. *Ocelli nitidi meae puellae.*

IX. *Nae si vos, nitidi, & venusti ocelli.*

X. *Postquam vos nitidi & venusti ocelli.*

Fortasse edita sunt, eo vivo, FASCITELLI Epigrammata, de qua re vide nostras Adnotationes.

XI. *Misi Caseolum meo poetae.*

XII. *Ad me tam stupidi, & mali poetae.*

XIII. *Natalis meus est. Io, sodales.*

XIV. *Forma, Lydia, munus est deorum.*

Ex MSto apud I. Vinc. Meola pag. 13. ad pag usque 25. a t. quæ secuntur ad *num.* XXIV.

XV. *Sis vivax, agesis, anusque fias.*

XVI. *Sat datum, speculoque, pectinique.*

XVII. *It dies, Olybe; sape, atque vive.*

XVIII. *Litterato homine elegantiorem.*

XIX. *O qui nuntius hic malus Capyci.*

Non est reticendum, quod in fronte hujus epigrammatis alia manu, ac recentiori atramento superscriptum est: *Questo è del Flaminio*, sed perperam. Nam neque cum Capycio unquam rescivimus M. Ant. Flaminium amicitiam iniviſſe, neque cum Camillo Arcella, nobili genere adolescentem Neapolitanum, militiæ studiis innitentem. Præterea de se clamat manus ipsa FASCITELLI, qua ipsum hoc epigramma, cum reliquis exaratum est, collatis, litterarum formis nostri Codicis cum Epistolis ad Seripandum: de quibus infra.

XX. *Quis clamat, foris ostiumque pultat.*

XXI. *O foci teneri, leves cachinni.*

XXII. *O fontes gelidique, splendidique.*

Huic Epigrammati *fragmentum*, pro titulo, inscripsimus, quod in Codice nostro scelerata manu discerptæ sunt duo paginæ, quæ anteibant; quarum vestigia cernere est, disjectaque initia versuum, cum quibus de infirma Camillæ Arcellæ valetudine conqueritur FASCITELLUS, ac de aliis suo more jocatur.

XXIII. *Iuli Caesar abesse me ducenta.*

XXIV. *De te quae mihi dictitat Camoena.*

Ex

Ex MSto eodem.

XXV. *O os purpureum, genaeque leves.*

XXVI. *Sabellae ocelli, non ocelli, sed vagi.*

Extant in editis, nisi quantum in Gagnai editione, pro *Sabellæ* nomine, *Giberti*, legitur.

XXVII. *Mi ocelle Septimille, mi venuste Septimille.*

XXVIII. *Dudum percurrens pratulum.*

Ex eodem MSto.

EX APPEND. CARMINVM.

I. *Nunc age, quam lacrimis mortales tristibus, & quam.*

Delitescabat insigne Poematis fragmentum in MSto Cod. Cartaceo, ut ajunt, in folio Card. Seripandi; quod in Biblioth. S. Io. ad Carbonariam Neap. adservatur, & in quo Variorum nonnulla ad Seripandum Carmina Latine, Graece, atque Italice scripta simul continentur. Sed vide, quæ in Adnotationibus nostris diximus.

II. *Vera ergo adtulerat quondam mihi fama Graveli.*

III. *Dum petit Alcides magno sub Iasone Colchos.*

Ex MSto eodem.

EPISTOLARVM.

Eorum, quæ Italice scripsit (scripsit enim plurima Fascitellus) Epistolæ supersunt numero XVII. familiari potissimum stilo ad amicos. Has igitur, ad X. usque, edidit primus omnium M. Franc. Turchi *lib. II. Epistolarum*, cui titulus: *Lettere facete, e piacevoli di diversi grandi Uomini, e chiari ingegni scritte sopra diverse materie. in Venezia.* 1557. *in* 8.

MARIO CARDOINO.

I.	*Io sono il più. &c.*	*xiii.*	*Luglio.*	1537.
II.	*Io starò in Roma. &c.*	*xxiv.*	*Febra.*	1538.
III.	*O che piacere. &c.*	*xxiii.*	*Ottobre.*	1538.
IV.	*Volesse Iddio, che. &c.*	*viii.*	*Marzo*	1539.
V.	*Basta, ora, che siamo &c.*	*ii.*	*Gennaro.*	1542.
VI.	*Signor mio, in tutti. &c.*	*xv.*	*Marzo.*	1539.

IO. B. POSSEVINO.

Harum primam retulit etiam Barthol. Zucchi in libro, qui inscribitur: *Idea del Secretario. in Venez.* 1614. *to.* III. *in* 4. cum illis, quas, *ad Cardoinum*, supra indicavimus *num.* II. & IV.

VII.

VII. *Quando io fui. &c.* *xxi.* *Aprile.* 1547.
VIII. *Tutti siete morti. &c.* *xxiv.* *Decembre.* 1547.
IX. *Che abbiamo Sign. &c.* *xvi.* *Decembre* 1548.

B A C C I O.

X. *Io ho tanto da rallegrarmi. &c.*

Hæc cum Turchi, tum Zucchi libris allata est epistola, cum aliqua varianti lectione.

PETRO ARETINO.

Habentur duo, quæ pone secuntur, epistolæ in collectione Epistolarum ad ipsum Aretinum, cujus sic se habet titulus: *Lettere scritte al Signor Pietro Aretino da molti Signori, Comunità, Dame di valore, Poeti, ed altri eccell. spiriti &c. in Ven. per Franc. Marcolini* 1552. *to.* II. *in* 8.

XI. *Credeami di godere. &c.* *xii.* *Maggio.* 1536.
XII. *Troppo amorevole. &c.* *xx.* *Decembre.* 1550.

HIERONYMO SERIPANDO.

Exscriptæ sunt, quæ remanent, Epistolæ ab auctographis ad Seripandum Card. in Bibl. uti diximus, S. Io. ad Carbonariam Neapoli extantibus. Itaque leguntur primo in volumine MSto, ex XV. aliis, quæ a celebriorum ea tempestate Virorum epistolis, consarcinata sunt: cuique in fronte scriptum legitur: *Episcoporum, Cardinalium, atque aliorum Ecclesiasticorum Epistolæ.* sub initium.

XIII. *Molto R. P. Maestro. &c.* *xxv.* *Agosto.* 1535.
XIV. *Se m' allegro &c.* *xxv.* *Marzo.* 1561.
XV. *Dio sa quanto &c.* *iv.* *Febraro.* 1582.
XVI. *Mons. Pantusa ha &c.* *xxiii.* *Maggio.* 1562.
XVII. *Il soccorso, ch' io. &c.* *xiv.* *Giugno.* 1562.

D E S I D E R A T O R V M.

De Rebus Sacris. Lib. III.

Vide, quæ de huiusmodi Poëmate in Adnotationib. ad APPEND. *Carminum* N. infra reperies pag. 73.

De Reformatione Dialogus

Cum Sancitorum tabulis.

Vide, quæ ad Epistolas num. XVI. & XVII. infra adnotavimus *Parte* II. Operum FASCITELLI. pag. 51. & 52.

F I N I S.

SE-

Selecta Doctorvm Virorvm
DE HONORATO FASCITELLO
Eivsqve Scriptis
TESTIMONIA.

I. Pavlvs Manvtivs

ad Germanum Minadoum Monachum Casinatem præfixa suæ Lactantii Editioni anni 1535. *ab* Honorato Fascitello *correctæ & auctæ, post multas* Fascitelli *laudes, hæc subjungit.*

Non enim facile dicam, plusne humanitatis in optimo juvene, an eruditionis inesse perspexerim . sed certe cum alteram acceperit ab ipsa natura, alteram diligentia , vel summo potius quodam ingenio sit consecutus; in utraque ita præstat, ut anteponendus nemo , conferendi vero quam paucissimi sint . Non pauca tum græce , tum latine ab illo scripta amici legimus, quid elegantius? quid purius? quid magis aut sententiosum , aut proprium . Versus facit . Musas ipsas non aliter loqui credas. Conscribit aliquid soluta oratione: veterem eloquentiam exprimi melius non posse dicas. De judicii præstantia, de candore animi, de comitate nihil dicam. Primum, quod hæc notiora sunt, quam ut nostro indigeant testimonio: deinde, quod facile possim, cum non sit hic proprius illa commemorandi locus , in aliquam assentationis suspicionem incidere , a quo ego tam longe absum, quam ille ipse, qua est modestia, cum hæc pauca de se scripta vel audiet, vel leget , laturus est submoleste . Verumenimvero faciundum ita fuit, & dandum aliquid amicitiæ , ac veritati: quando is est, de quo sit posteritas locutura. Quibus rebus cum

ego

ego, ut illum incredibili quadam benevolentia, vel potius pietate, complecterer, impulsus essem: etiam ut deberem, magno ejus beneficio factum est. Nam cum me ita animatum, ut supra commemoravi, sensisset; quasi non contentus, eam viam, quæ ad veram sapientiam ducit, ostendisse, nisi etiam primos aditus muniret, detulit ad me quos nunc impressimus Lactantii libros, tam multis illos quidem in locis & emendatos, & auctos, ut cum omnibus, qui ante exierant, collati propemodum alii viderentur, &c.

II. SEBASTIANVS GRYPHIVS

In Præfatione sua ad Lectorem Lactantii ab eo excusi Lugduni 1541. *in* 8.

Tanta annis ab hinc quatuor (sex debuit dicere) felicitate HONORATVS FASCITELLVS *Venetus* (Æserniensis potius) integritati suæ restituit, ut non Firmiano plus, ex quo nati sunt, quam FASCITELLO, ex quo renati, debere videantur.

III. Q. MARIVS CORRADVS.

Lib. XIII. de lingua latina.

Luserunt alia doctissimi viri Pontanus, Castilio, Varchius, Jo. Baptista Arcucius, Cotta, Naugerius, Fracastorius, Amalthæus, Marullus, Gambara, FASCITELLVS; quorum tamen scriptis non minus, quam Virgilii, Horatii, aliorumque veterum posteritas omnis adjuvabitur.

IV. PETRVS VICTORIVS

Epistolarum lib. II. epist. ad FASCITELLVM.

Accepi (a SIMONE PORTIO) te ab Julio III. Pont. Max. Episcopum esse creatum, quum paucis antea mensibus, vel diebus potius te usus esset, atque instituendo, ingenuaque omni disciplina expoliendo Cardinali suo destinasset: eo autem nuntio maxime lætatus sum, & tui ipsius caussa, quam semper amavi; & propter admirabiles virtutes tuas, merito suspexi, & aliorum etiam, qui idem vitæ iter ingressi, atque in doctrinæ studiis diu versati, sperare possunt, præmium aliquod fore suis laboribus: cui si operam darent opulenti viri, & in maximis dignitatibus constituti, vehementer inflammarentur animi reliquorum ad optimas artes colendas, & in antiquum gradum honoris restituendas, unde importunitate barbarorum, calamitateque superiorum temporum indignissime dejectæ fuerant: nam, quin hoc

hoc perfici possit, dubitare non debemus, quum hac ætate magna illis accessio facta sit, sponte ad hoc conspirantibus ingeniosis viris, potius quam justa ulla mercede tantæ suæ industriæ invitatis &c.

† V. LVCAS GAVRICVS

In Schematibus Nativitatum, inter Opera Astrologiæ, Tom. II. Basileæ pag. 678.

Frater HONORATVS *Monachus S. Sancti Pauli.*

Frater HONORATVS Orator facundus didicit rudimenta Græcarum litterarum a Pomponio Gaurico, habuitque ejus libellum. Autumant plerique ipsum a primis cunabulis natum fuisse giberum. Ipse autem affirmat anno suæ ætatis XIII. mense III. *16.* cecidisse ab alto, & læsus in humero sinistro factus fuit gibbosus ---- Anno XVII. circa initium factus Monachus S. Pauli: & paulo post exigebat proventus sui monasterii, & degens extra regulam electus fuit Episcopus a Jul. III. Pont. Max.

† VI. PLACIDVS DIACONVS

Casinensis in Supplemento ad librum Petri Diaconi de Viris illustribus Casinensibus.

HONORATVS Hiserniensis ex Familia FASCITELLA, in Casino Monachus susceptus est sub Vincentio Neapolitano. Postea vero creatus est Episcopus de Insula in Calabria, vir in græcis, humanis, & divinis litteris versatissimus. Poeta insignis: scripsit quamplurima Opera, quæ temporum calamitate ad manus nostras non devenerunt. Floruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum.

† VII. JO. BAPTISTA MARI

Can. S. Angeli in foro Pisc. in adnot. ad librum Petri Diaconi Casin. de Viris Illustr. Casinensibus.

HON. FASCITELLVS, Marci filius, natus an.1502. laudatus a Bembo, Jo. Casa, Flaminio, aliisque doctissimis viris; cujus etiam poemata lepidissima leguntur apud Jovium in Elogiis, suntque impressa quoque in Delitiis Poetarum Italorum. Insigne edidit opus de factis Alphonsi Avali Marchionis Vasti. An. Dom.1551. die 30. Jan. a Julio Papa III ornatus infula Episcopali; Præceptor datus Innocentio Montio Cardinali ejusdem Pontificis adoptivo. Meminere Joannuccius (*Ranutius* potius) Gherus lib. I. Poetarum Illustrium Italiæ, & Caramellæ &c.

Interfuit Concilio Tridentino. Roma obiit menſe Martio 1564. ibidemque ſepultus eſt.

VIII. FERDINANDVS VGHELLVS

Italiæ Sacræ Tomo Nono in Epiſcopis Inſulanenſibus.

HONORATVS FASCITELLVS Iſernienſis nobili familia natus an. 1502. patre Marco viro claro, matre Margarita Caracciola; puer anno 17. monachus Caſinenſis Cænobii factus, vir evaſit &c. (*reliqua reſecta ſunt, quæ a Placido, & Mari eisdem fere verbis, ſupra relatis, excripſit*).

† IX. L. GREG. GYRALDVS

De Poetis ſuorum temporum. Dial. II. pag. 573.

Præterea Antonium Franciſcum Rainerium Mediolanenſem. HON. TASITELIVM (FASITELIVM *debuit dicere, errore potius Thypagraphico*), Auguſtum Coccejanum Brixienſem, Gabrielem Taernum (*Faernum*) Cremonenſem &c.

X. JO: MATTHÆVS TOSCANVS

Pepli Italiæ lib. III. pag. 78.

FASCITELLVM protulit Neapolis (*Æſernia* dictu erat), Cardinali Farneſio ob ingenii elegantiam carum: a quo & Epiſcopatu honeſtatus eſt. Puriſsima ejus & dulciſſima Poemata, quotquot in manus noſtras venerunt, typis exaranda curavimus primo volumine carminum Illuſtrium Poetarum Italorum. Multo tamen majorum carminum numerum, non dum luce donatum, poetices ſtudioſi deſiderant: quæ aliquando proditura non deſperamus.

XI. JO. ANT. VVLPIVS

In adnot. ad hunc loc. edit. primæ Sannaz. FASCIT. *& al. in* 4.

Nobis potiſſimum id contingit, ut primi omnium (niſi valde fallimur) plura, & ea quidem graviora, FASCITELLI carmina, ſitu, atque oblivione pæne ſepulta, in lucem proferremus. Quanti enim fieri debet a juſtis rerum æſtimatoribus Poema nobile de geſtis ALFONSI, Marchionis Vaſti, cujus egregii operis meminerunt Scipio Capycius, & Ferdinandus Vghellus, quos teſtes locupletes in hac cauſſa excitavimus. Et tamen ante noſtram ætatem typis deſcriptum numquam fuit quod ſciamus.

† XII. JACOBVS GADDIVS

De Scriptoribus &c. pag. 193. *Florent.* 1643. *in fol.*

FASCITELLVM HONORATVM, ut referam inter egregios Poe-

Poetas me monuit magis unica elegia nobilissima & pulcherrimæ ad Scipionem Capycium, in qua nonnullæ digressiones elegantissimæ certe, pluresque versus optimi sunt. Quamplura, & varia carmina ab ipso composita minus bona. Impellit ad idem Jovii exemplum, qui FASCITELLVM numerat inter insignes litteris viros, quorum habebat icones elogiis illustrandas.

XIII. JOSIAS SIMLERVS

In Epit. Biblioth. Conr. Gesneri fol. Tiguri 1555. *pag.*84.

HONORATVS FASCITELLVS scripsit insigne Poema ad Heroinam Piscariæ.

XIV. JANVS BROVKHVSIVS

In adnot. ad Tibulli Eleg. lib. II. num. 1.

Pulchre HONORATVS FASCITELLVS, poeta purus ac nitidus, cujus ego plura extare carmina magno emerim. &c.

XV. JO. ANT. VLPIVS

*In adnot. ad hunc loc. edit. III.Sannaz. & al. pag.*31. 1751. *in* 8.

Vtinam Broukhusius adhuc superesset! magnam scilicet animo lætitiam caperet legendis quamplurimis FASCITELLI versibus huc alteri editioni nostræ adjunctis; qua erat in eum poetam voluntate. Hos tamen insigni Viri celeberrimi Apostoli Zeni liberalitati omnino deberet, qui ex illo suo copiosissimo bonorum librorum thesauro depromtos, nobis edendos benigne concessit.

XVI. IDEM.

In Epist. ad lectorem primæ edit. Sannaz. & ali. in 4.

Denique Gabrielis Altilii Epithalamium, exquisitæ venustatis poema, sed in quibusdam libris fœde corruptum, emendatius multo exhibemus; nonnulla item HONORATI FASCITELLI Carmina, Catulli elegantiis affluentia, excudenda curavimus: quos poetas Actio Syncero adjicere, non abs re visum est; ambos enim regio Neapoli finitima protulit &c.

† XVII. Jo. Vincent. Giarlantivs

In lib. Memorie Istoriche del Sannio lib. V. cap. 21. pag. 494. Aeserniae apud Camill. Cavallum 1644. in fol.

Ma Onorato nacque nel 1502. superò tutti: imperocchè applicatosi alli studj, divenne dottissimo nella lingua Greca e Latina, Oratore facondissimo, e Poeta sì insigne Latino, che pe'l suo puro, ed elegante stile di scrivere è da' dotti paragonato agli antichi savj Romani, che perfettamente scrissero: ed insomma giunse a tanta eminenza di scienza, che perciò è grandemente lodato dal dottissimo Cardinal Bembo, di cui era amicissimo, e da Monsignor Giovanni della Casa, dal Flaminio, e da altri di que' tempi. &c.

† XVIII. Hannibal carvs

Al Signor Angelo di Costanzo. Edit. Comin. tom. I. a c. 307.

Ma non mi parendo di poterlo fare con quella espressione, che io vorrei, lascio, che il P. D. Onorato, con la medesima vivezza, che m'ha presentato l'amor, che mi portate, e l'onor, che mi fate, vi mostri per la più parte il riverbero, che l'uno, e l'altro fanno verso di Voi, e l'obbligo, che io ve ne tengo, il contento, che io n'ho ricevuto &c. Di Roma agli VIII. di Marzo del 49.

† XIX. Hieronymvs rvscelli

Della Lingua Volgare. lib. II. cap. 6. a. c. 88.

E se in alcuni Petrarchi stampati per addietro si legge

Essendo il Spirto dal bel nodo sciolto.

è purissima scorrezione di stampe. Perciocchè si ha da credere, e da affermare, che il Petrarca scrivesse,

Sendo lo spirito dal bel nodo sciolto.

la qual parola *sendo* è sua famigliare, anco altrove, quando la necessità della regola non lo stringe: *Sendo di Donne un bel numero eletto*: Onde, potendo egli usarla ancora in quel verso commodamente, non è da credere, che avesse voluto uscir della regola della lingua, usata sempre da tutti buoni, e principalmente da lui medesimo. Laonde in quello d'Aldo stampato questi anni addietro sotto la correzione del molto Rev. Monf. Onorato Fascitello, ora Vescovo d'Isola, persona dottissima e in ogni lingua, e in ogni scienza, si vede restituito, ed altri molti &c.

† XX.

† XX. IDEM

In lib. cui titulus. Discorsi contra il Dolce. a carte 62.

Veggasi (il Petrarca) d'Aldo stampato del XLVI. che fu forse meglio (*così*) d'ogni altrò, e corretto, per quanto intendo, secondo un esemplare del Reverend. e Dottissimo Mons. ONORATO FASCITELLO; il qual ancor esso ha preveduta in ispirito profetico la futura correzion vostra. (*Accenna quel verso del Trionfo della Divinità, che comincia*: Beati spirti; *e prima leggevasi*: Beati i spirti; *il quale pretese il Dolce d'aver prima di tutti corretto nella seguente edizione del* 1548.)

† XXI. GABRIEL FIAMMA

In Sposizione delle Rime Spirituali. in Vinegia. 1570. *a c.*470.

La bellezza . . . i Poeti più gravi, e più giudiciosi hanno lodata per un dono singular di Dio, così affermano Omero, ed Ovidio: da' quali tolse l'imitazione Mons. ONOR. FASCITELLO, già Vescovo dell'Isola, in quel suo bellissimo endecasillabo, che incomincia:

Forma, Lidia, munus est Deorum &c.

la qual sentenza è conforme a quello, che insegnano i SS. Teologi.

† XXII. LVD. DOMENICHI

In libro: delle Facezie, e Motti, e burle di diversi Signori, e Persone private. pag. 412. *edit. an.* 1581.

Monsignor ONORATO FASCITELLO persona di grandissima letteratura, e dottrina mandò M. Antonio suo Creato al Signor Jacopo de' Patti per lo suo libro de' Motti; ed avendoli M. Antonio esposto l'imbasciata, soggiunse, ditemi un poco Signor Jacopo mio non avete voi animo di fare stampare un giornò questo vostro onorato libretto? rispose argutamente bischizzando il Patti, se parrà al mio Signor ONORATO FASCITELLI.

† XXIII. REGINALDVS ACCETTVS

In Tesoro della Volgar lingua. Napoli 1572. *a carte* 17.

Il Tansillo, la cui gloria sempre nelle sue opere rinova: a'quali giungo il Reverendissimo Monsignor FASCITELLI, il quale tanta luce diè, quanta si vede nelle sue belle composizioni. E se son questi tutti da mortal vita passati, non perciò mi-

minor gloria ha la Volgar lingua nella nostra età, che avesse mai, anzi di gran lunga maggiore: posciachè piena di gran dissimo sblendore la rende &c.

† XXIV. JAN. JAC. ROSSI

In fine libri, cui titulus: Rime, e Versi in lode di D. Gio: Castriota &c. In Vico Equense 1585.

ONORATO FASCITELLO Vescovo dell' Isola scrive così latinamente; che non cede punto a quegli antichi Romani, che scrissero con tanta perfezione; scrive anche in lingua Toscana, e non senza molta vaghezza. Fu molto chiaro e famoso a suoi dì, e fu molto celebrato dal Bembo, dal Casa, e dal Flaminio, e dagli altri, che furono in quei tempi.

† XXV. BARTHOL. ZUCCHI

In lib. Idea del Segretario. P. III. pag. 111. *Ven.* 1614.

Siccome il FASCITELLO fu sempre uomo scherzevole, così non può quasi in questa lettera lasciar di sherzare, mentre si congratula con questo Monsignore, che l' Arcivescovo di Salerno abbia generosamente rifiutato il Cardinalato, il quale alfine convenne accettare, ed egli chiamossi il Cardinal Fregoso.

Præter hos de HONORATO FASCITELLO meminerunt

Lelius	CAPILVPVS	*in adnot. ad sua Carmina*
Nicolaus	TOPPIVS	*Biblioth. Scrippt. Neap.*
	NICODEMVS	*in Additionib. ad Bibl. Neap.*
Berardin.	TAFVRIVS	*Hist. Script. Neapolitan.*
Marius	CRESCIMBENIVS	*Comm. Hist. Poesis Ital.*

ALIIQVE.

HONORATI FASCITELLI

CARMINVM

LIBRI II.

HONORATI FASCITELLI AESERNIENSIS
CARMINVM LIBER I.

ALFONSVS
Poema ad Heroinam Piſcariae

NVMQVAM *non Muſis, numquam non vatibus aeque*
Geſta deûm curae, curae ſunt geſta virorum.
At vos, Pegaſides, vos aequius inclyta ſemper
Facta patris decet, & divûm ceciniſſe trophaea;
Qualia Phlegraeos dudum bellata per agros 5
Stans veſtrûm medius, quondam cantabat Apollo;
Aetnamque, Prochytenque, & olentes ſulphure Baias:
Quandoquidem divas aequum eſt meminiſſe deorum.
Nos contra melius, nobiſcum carpere ſuetos,
Quidquid id eſt tandem caeli & ſpirabilis aurae, 10
Noſtrates canimus, veſtriſque aequare paramus.

Sic ego ob *id meditor totum vulganda per orbem,*
Quae mihi post paullo Parcae dicenda reservant:
Scilicet ut tenui iam pendeat Africa filo,
Iam trepidet, miserisque modis turbata laboret; 15
Nec quid agat, norit; vel quo se exterrita vertat.
Ipse sibi mediis Triton diffidit arenis;
Ipse tremit vacuis Nasamon praedator in arvis;
Et celeri Garamas cursu delatus ad Indos,
Avia iam noti superat cunabula Nili. 20
Per nemora ad latebras, & inhospita tenditur antra;
Nec tamen aut silvae miseris, aut ulla putantur
Tesqua satis. Passim pallorque, pavorque vagantes
Occupat; & vario miscentur cuncta tumultu.
Tantum aspectantes Asiam, Turcamque tyrannum, 25
Ore fremunt omnes. Tum, spes ubi nulla salutis,
Id sibi praesidii solum superesse fateri.
Iamque cient magnis clamoribus. Huccine rerum
Deventum est Libyae? vix est mihi credere dignum.
Sed tamen haec etiam, Libye, te fata manebant. 30
Ah misera, ah male sana, ducesque oblita priores,
Nec tibi iam constans, nec habens cui perdita fidas!
Tu Libye? tune illa tuis armisque virisque
Terra potens, Latii quae nominis aemula semper,
Sola parem terris animo aspernata Quirinum, 35
Aurea sublimi feriebas sidera dextra?
Nunc Asiam imbellem spectas, Parthumque fugacem;
Nunc externa petis Tyriae solatia genti,
Heu quantum meritis minor, & virtute parentum!
Nequicquam tamen, infelix, haec ipsa fatigas 40
Auxilia, & turpi talem te foedere firmas.

Nam

Nam sua stant Asiae quoque funera, nec procul ardent;
Et iunctae casu longe maiore ruetis.
Anne parum vobis Europae cognita virtus?
Vos armis Europa petit, belloque lacessit, 45
Italiae auspiciis, ducibusque innixa Latinis.
Iamque parat Siculi praeter vada currere ponti;
Iam Ligurum obsedit salebroso in litore portus
Magnanimûm instructis heroum exercitus alis;
Adcincti bello iuvenes, Romana propago; 50
Spirantes patriae meritos virtutis honores.
Quos inter medius gradiens ALFONSVS *& ipse*
Scipiadas nobis referat qui solus utrosque,
Sceptra manu gestans, AVALVM*que insignia regum,*
Terribilem cristis galeam quatit acer equinis, 55
Qualis Phartenopes nuper sub montibus idem
Gallorum magna delebat strage cohortes.
Tempore quo mihi LAVTRECCVM *Ligur* AVRIA *Belgam,*
Ignavosque duces infaustaque castra perosus,
Vertit iter, serisque suis sibi conscius annis, 60
Hic demum tuta classem statione recepit.
I cava nuc Cetara, & Amalphides ite puellae,
Incusate deos, & Tusci numina ponti,
Candida marmoreis plangentes pectora palmis.
Haec quoque Parcarum volvebant stamina fusi, 65
AVRIA *uti fato victorque & victus eodem,*
Iungeret ALFONSO *sese, iuvenemque secutus*
Iam senior, bello tumidos, praestaret, ut ille
Tum certe Gallos nostris averteret oris:
Mox vero magnis Libyamque Asiamque catenis 70
Implicet, & pedibus calcandas Caesaris aptet.

Nec mihi se Rhenus iactet coniunctus Ibero :
Dum stetit , hostilesque minas interrita vidit
Parthenope , ALFONSI *dextra stetit* . AVRIA *magno*
AVRIA *dein* AVALO *iunctus* , *terraque marique* 75
Ilicet ostendit , *quid pubes Itala posset* ,
Discordes animo pergat si ponere motus ;
Sponte nec ipsa sua caput offerat obvia leto ,
Dum studiis diversa ruit ; dum turbine caeco
Acta , *odiis* , *grata & rerum novitate tenetur.* 80
Atque utinam quorum manibus victoria parta est ,
Iidem virtutis quaesissent praemia soli ,
Et bene pro meritis laudum quoque dona tulissent .
Nunc eadem insontes pariter sontesque procella
Perculit , *& cunctos uno simul obruit aestu :* 85
Dum sibi quisque putat nil non impune licere ;
Et rapit ; & laeti quantum quis possidet agri ,
Tanti agitur reus , *& patriis procul exsulat oris* .
Heu sortem miserandam , *& nostris debita seclis*
Fata deûm ! si fata deûm tam dira putandum. 90
Sic o sic tandem patriis viduata colonis ,
Una viris florens , *opibusque* , *& fortibus ausis* ,
Una domus genitrixque deûm , *sobolesque deorum*
ITALIA *infelix* , *Septem-jam tota-trioni*
Occidis ; & , *curru celsa ad Capitolia vinctos* 95
Ducere gratantum longo quos ordine sueras ,
Nunc dominos perfers ; nec te iuga barbara tangunt ?
Sic nos (heu miseri !) quae digna indigna relatu
Pertulimus ? quae non mala vidimus ? O ubi tellus
Ultima , *& aeternis numquam non cana pruinis* , 100
Aut solis rapido semper damnata sub axe ?

Sed

Sed lacrimis modus esto. Meus, meus ecce propinquat
Quadriiugo invectus Campana per oppida curru
ALFONSVS, *pacemque ferat, finemque malorum*
Qui statuat; curasque iubens procul esse sequaces, 105
Aeterna inducat miserarum oblivia rerum.
Victor io trahit ecce tot inclyta regna, tot urbes
Captivas; montesque novos ostentat; & arces
Montibus, & rapido fluviorum vortice tutas
Victor agit, clari secum monumenta triumphi: 110
Innumeras Italo prostratas Marte phalangas;
Aethiopum Meroën, & Bactra extrema, Dabasque,
Quosque habet infelix felices Mecha Sabaeos,
Quique bibunt Indum, & centumgemina oppida Cari;
Neque alios, aliosque omnes, quos maximus ambit 115
Orbis, & Oceano complectitur Amphitrite.
Vestes cuique suae, nec lingua alienior armis.
Hic illum, ille alium miratur: at omnibus omnis
Praecipua Othomani cura est, Asiaeque iacentis
Arma procul, capitisque immensa volumina sacri 120
Prospicere; humanasque vices variantia fata,
Aureaque Eoi miserari vincula regis.
Tu vero Poenos & classem discere, & ecquis
Sub pedibus frendat Libyci novus Annibal aestus;
Aenea cui barba est, ferroque incincta nitenti 125
Dextra rapax, regnumque dolis & caede paratum.
Ipsi non audent deiecta cacumina montes
Tollere; non oculos, infractis cornibus, amnes.
Caucasus Atlantem miratus, & arida menta,
Ingentesque artus, concretaque terga pruinis, 130
Caelum ubi sit, quaerit: versoque ad gaudia fletu,

Is

Irridere senem, percontarique videtur,
Ecquis in Herculei desudet mole laboris.
Ille supercilium tollens, cervice reflexa,
Suspicit ALFONSVM*; scapulisque ad colla relatis,* 135
Ut licet, haec maiora fatetur pondera; & ore
Compresso, tantum demisso vertice nutat.
Bagrada respectat Tigrim simul, & simul omnem
Prolixam, illacrimans, salso rigat aequore barbam.
At Tigris nictatque oculis, torvumque tuetur, 140
Iam iam erupturo similis, totamque sonanti
Cursu eversuro pompam. Pavet obvia turba;
Et flentes pueros pressant ad pectora matres.
Sic Tagus ad Gangem, Ganges conversus ad Istrum,
Inque alios alii, mussantque dolentque vicissim; 145
Spectantumque tenent oculos, atque ora morantur.
PAVSILYPVS *laeta redimitus tempora citro,*
Iura dat, & leges victis imponit amicas;
Ac monet, ut partem socii SEBETHVS *honoris*
Iam subeat, Nymphisque rosas, & lilia mittat. 150
Ipse fluentisona lenis pater incubat urna,
Caeruleos tenera praecinctus arundine crines,
Sufficit & festas vario de flore corollas,
Hortaturque suas per mollia prata Napaeas,
Visendi properent dulci praevertere cura 155
Naïadas comites, festinantumque catervas
Nereidum: quarum Siren dux, maxima Siren
PARTHENOPE, *thyasosque novos, nova carmina tentat;*
Et movet in numerum choreas, & voce canora
ALFONSVM *ingeminans, Felix, hoc auspice, felix* 160
Nunc ego dicar, ait. Responsant aequora plausu.

Im-

Immixtaeque viris passim nullo ordine matres,
Et pueri adsultant, vocesque ad sidera tollunt,
Gratandi exciti studio, effusique per urbem.
Aere cavo divûmque arces, arcesque minorum 165
Certatim plaudunt heroum, atque aëra frangunt:
Sed divûm resonis tantum tinnitibus auras
Complent, & molli nubes clangore serenant:
Heroum valido fumantes igne coruscant,
Igne tonant, caelumque petunt, caelum igne lacessunt, 170
Et longis liquidum labefactant aethera bombis.
Quae pater ignipotens media Vulcanus ab Aetna
Dum procul exaudit, clauso Cyclopas in antro
Castigat, furtique vias & nomina quaerit;
Fulminibusque suis fremit aemula fulmina, olenti 175
Sulphureque strepituque & terrificis fulgetris.
Iam fremitu reboant montes; iam iam omnia late
Litora turbantur: Campania tota resultat.
Ast AVALVS *divûm templis indicit honores,*
Et larga fert dona manu, cumulatque per aras 180
Tura Arabum, & stirpes ima ab radice revulsas.
Tum spolia excelsis gaudet suspendere tectis;
Parietibusque sacris adfigit opima, superbis
Pro foribus statuens quaesita ex hoste trophaea.
Talis Liber erat, nigris cum victor ab Indis 185
Indomitos egit tigres ad frena iugales,
Sileno cum evante, & thyrsigeris Satyriscis.
Talis & Alcides praeda spectandus Ibera,
Post tot inexhaustos terraque Eroboque labores,
Aut fuit, aut poterat Pompeiis esse propinquis, 190
Aeterno nostras dignatus nomine terras.

Vi-

Victori imprimis medio VICTORIA *templo*
Adsistit, iactatque suo se nomine laeta,
Quondam saepe viro, nunc facta nepotibus omen.
Usque olim invicti fata immatura mariti 195
Flebilibus numeris, doctisque sacrasse querelis
Iuvit, & aeternis manes intexere chartis;
Iam canit ALFONSI *victricia signa nepotis,*
Lesboas Tusco percurrens pectine chordas.
Sed locus haud patitur me longius ire per altum, 200
Nec mihi tam gelido praecordia frigore torpent,
Huius ego ut brevibus laudes perstringere verbis
Posse rear, speremque omnes aequare canendo.
O decus, o patriae spes, Heroina, deorum
Salve perpetuo nostris data munere terris: 205
Te canimus laeti, te caelo tollimus omnes.
Tu mihi te facilem da, vates optima, vati:
Et potuisse aliquid tecum fortasse feremur.
Haec meditor, tacitusque animo mecum ipse voluto.
Atque utinam tantis par sim modo conditor actis, 210
Ne me deficiant sub iniquo pondere vires.
Sed tamen experiar: nec me tentasse pigebit.

II.

II.

In CAROLI MAGNI effigiem.

AVDISTINE *olim magni post Herculis arma,*
Extremam paribus Calpen qui terruit ausis,
Invictum virtute animi dextraque Rolandum?
Audistin' robusta senis tot pignora Amonis?
Ac teneram roseo cum primis ore puellam, 5
Casside sub dura solitam se credere campo,
Congressamque viris victricem excedere pugna?
Atque alios aliosque omnes fortissima bello
Pectora, bis senos ex ordine Pallatinos?
Quos magnis longum spectatos Gallia rebus 10
Evexit caelo, & fulgentibus intulit astris:
Scilicet insignes spoliis heroas opimis,
Insignes raptis immani ex hoste trophaeis.
Hoc duce, quem multo trabeatum cernis in auro,
Nunc etiam adspectu ipso, & maiestate verendum, 15
Hoc meruere olli, & tantum exhausere laborum.
CAROLVS *hic ille est, quem nec saecla ulla, nec aetas*
Non canet eximio Regem cognomine MAGNVM:
Cuius ab auspiciis tum primum Gallica signa
Baetis, & infractus victricia sensit Iberus.
Intremuere Asiae reges, iacuitque subacta
Punica terribili tellus concussa duello.
Cetera, ab angustae spatiis exclusa tabellae,
Te magni divina IOVII *monumenta docebunt.*

† III.

AD SCIPIONEM CAPYCIUM.

Quis mihi non ruri me suadeat esse, CAPYCI,
Et vetet agresti munera ferre Lari?
In patrios migravit agros, caeloque CASERTA
Devocat aeternos ad sua rura Deos:
Et facit, ut magnum Campania terra TRYPHONEM 5
In parva iactet se quoque habere casa.
Nobilis insignem celebrat vicinia villam:
Nec caret Albana fundus & ipse sua.
O ego quid cesso? populique, urbesque valete;
Iam non me vulgus, non ego vulgus amem. 10
Vulgus, in extremis cui dives America terris,
Quaeritur incertis & Calicuta viis;
Nescio quae Calicuta novo sub sole reposta,
Aeternum Hispanae munus avaritiae.
Nempe parum fuerat, nostris ditescere regnis, 15
Et versare avida fasque, nefasque manu;
Intactos nisi classe nova penetrasset ad Indos,
Intentata rudis Tethios ad spatia.
Scilicet a curvo digressus Iberus aratro,
Praeceps trans terras, & maria alta ruit. 20
Iamque super solis, cursumque aestumque perennem
Audet in ignotum tendere vela salum.
Quà currus alios alio regit orbe Bootes;
Mersaque sub Stygio gurgite terra patet.
Ille quidem victor terris advertere proram, 25
Et nova post tanto gaudet adire sola.
Ignari rerum populi, per litora fusi,
Mirantur liquidas currere monstra vias.

Hac

Hac alacres properant, hac corde micante resistunt,
Et tendunt duplices sidera ad alta manus. 30
Dumque nova passim capti dulcedine torpent,
Et multa ancipites speque, metuque fremunt;
Ecce tubae subitus magnum ferit aethera clangor;
Et crebra resonant tympana pulsa manu.
Illi divino Nereidas ore canentes, 35
Et sanctos rentur Doridos ire choros.
Inter se miris obvertunt nutibus ora,
Et plausum magnis vocibus ingeminant.
Ast ubi fulmineo caelum tremit omne fragore;
Et late fumo stat grave olente fretum; 40
Tum vero ingenti perculsi corda pavore,
Bacchari Eumenidas per vada salsa putant.
Nec flammas iam ferro novas, ictusque minaces,
Permistumque gravi sulfur odore queunt.
Pars fugit, & silvas sese procul abdit in altas: 45
Agmine pars denso regia iussa facit.
Regem magna ducum, proceraque colla virorum,
Sublimem iunctis sustulerant manibus.
Hi currus illis, hae sunt in honore quadrigae:
Non aliis, prisco more, vehuntur equis. 50
Sed quibus ille paret contra contendere telis?
Aurum habet: hoc plena porrigit usque manu.
Quid facis ah demens? gemmas, aurumque reconde:
Muneribus perdis teque, tuosque tuis.
At felix contra patriis EPICVRVS *in hortis,* 55
Dum sibi & ipse serit, quod sibi & ipse metit;
Exiguo secum gaudebat vivere cultu:
Nec labes sanctum polluit ulla virum.

Hei mihi quid dixi? CAELESTES *parcite fasso:*
Contemsit magnos impius ille Deos. 60
Securus Leti, Stygiae securus & undae,
Risit tergemini ferrea vincla canis.
Non ego, qui soleam sacra menstrua. VOS *mihi testes:*
Excidit; & linguae non mea culpa fuit.
Sanctum ego iudicibus potuissem dicere VOBIS, 65
Flagraret tanta ni scelus invidia.
Infelix EPICVRE, *nec hoc mihi nomine care,*
Numina tune ausus temnere magna Deûm?
Tune ausus Graias convellere Sacra per urbes,
Et dulci mentes fasce levare pias? 70
Stulte luis poenas: quâm nunc Acheronte sub imo
Poenitet invicto thura negasse Iovi.
I miser, Eumenidum pendentes fronte colubros,
I nunc, & manes, & Phlegetonta nega:
Persephonem, Ditemque nega. Te Tartarus horrens, 75
Compescat, miris excrucietque modis.
Sed, mea quae pietas; unum hoc ignoscite, Divi:
Atque ego tunc, sanctum quis neget esse rogem.
Hiccine non sanctus, primis cui semper ab annis,
Ut sine cura esset, maxima cura fuit? 80
Non vasti tumidis pelagi se credidit undis;
Flecteret, ut dubiam per freta caeca ratem.
Non litui strepitus arrectis auribus hausit:
Praelia conserta doctus obire manu.
Fastidit populi plausum, fastidit honores, 85
Regum purpureis amplior amphitapis.
Denique despexit, curas quaecumque sequaces
Protinus a tristi pectore non abigunt.

Quin

Quin etiam rerum causas libare latentes
Constituit primi liminis anta fores: 90
Ne curis animum torqueret inanibus aegrum;
Cerneret & medio somnia vana die.
Et meritas homini dubitem concedere laudes,
Tardatus tristi nube supercilii?
Quin senis in castris potius liber aera merentem 95
Hoc reliquum vitae degere, quod superest.
Amplius hoc: vinctas verbenis pinguibus aras
Rite mero insistam spargere, rite mola.
Sunt superi, curantque homines, hominumque labores,
Tanguntur que ira, respiciuntque pios. 100
Urbis delitias vobis habeatis amici,
Exiguum vestra rus ego pace colam.
Heic iuvet insanos animi componere motus,
Et legere in tuto lintea laxa sinu:
Armaque pro foribus delubri figere sancti, 105
Subductaeque ratis texta soluta meae:
Tum longis longos somnis adiungere somnos,
Et saepe ipsius non meminisse mei.
Ut sit, qui forsan de me quoque dicere possit:
Felix, in parvo qui sibi vivit agro. 110
Vivit & aeterno Musarum captus amore,
Farre pius modico rustica sacra facit.
Dii facite, aëriis committam cetera ventis:
Hoc unum liquido consequar auspicio.

IV.

IV.

Ad IOVII Viros illustres armis.

MAGNANIMI *heroes, salvete, haud parva supremi*
Cura Iovis, docti maxima cura IOVII.
Vos tulit in caeli sublimes Iuppiter arcem,
Dignatus mensa concilioque deûm:
Vos IOVIVS *totum late volitare per orbem,* 5
Romanâque iubet vivere in historia.
Munera magna Iovis: verum, si dicere fas est,
Non sunt aeterni dona minora IOVII.

† V.

Ad CAROLVM V. Imperatorem.

O Graiis merito, & ducibus praelate Latinis,
Quas referet grates BRVTIA *Terra tibi?*
Non aestus Lybici, nec tot discrimina rerum,
Terruit aut saevi te via longa maris.
Omnia virtute, atque armis CAESAR *superasti,* 5
Immanesque duces impiaque arma virûm.
Per te parta quies, nobis securus arator
Per te nunc cultae semina mandat humo.
Rusticus & vitem viduas traducit ad ulmos,
Pacatum volitat navita perque mare. 10
Sis felix, Italisque tuis Saturnia condas
Saecula, & in placida pace regas populos.

† VI.

Nunc dimittis servum &c.

NVNC *age supremo missum fac tempore servum,*
O Pater, & molli conde quiete sinum.

Nam

Nam veluti cupidis PROMISSI *saepius olim*
Illuxit nostris certa salus oculis.
Certa salus a te populorum exposta sub ora 5
A sole exoriente ultimum ad occiduum.
Scilicet ut dulci perfusas lumine gentes
Insigni Superos iam pietate colant.

VII.

Ad RAMBERTVM suum
e nobili BARBARORVM gente.

Ne *lacrima*, RAMBERTE; *graves in fata querelas*
Ne move; & Aonidum mitte dolere vice.
BARBARVS *ut casu putei delapsus in ima est,*
Naiades incolumem restituere deae.
Nam quicumque sacris semel os admoveris undis, 5
Hunc quae iam reliquae non vereantur aquae?

VIII.

Votum MVSIS pro eodem.

DEVOTAS *quid opus diris incessere ficus;*
Et probris puteos exagitare malis?
Vos potius MVSAE, *pleno vos prosequar ore;*
Quarum praesenti sospes amicus ope est.
BARBARVS *incolumis vestro mihi munere vivit,*
Infausta occiderat qui prope raptus ave.
Scilicet haec vestra est vatum bona cura piorum;
Olim qui dextro vos adiere pede;
Ut qui Castalio liquidos de fonte liquores
Hauserit, is nullis fiet violandus aquis. 10
Inde etiam Pario quae pendet fixa sacello;
Haec FASCITELLI *grata tabella tui est.*

IX.

IX.

De ANNIA Villa.

ANNII *nemoris sacra*
Citria, & liquido sacer
Fons fluens pede per nemus,
Quodque colle habet in sacro
Mollis acta sacellum: 5
Vosque agrestia numina,
Dii deaeque genus Iovis;
Frigidum quibus est nemus,
Fonsque iugis, & inclyta
Ara rite dicata: 10
Rite si nemore horrido
Fonte seposito procul
Imminens pelago capit
Ulla vos super arduo
Ara colle dicata: 15
Quam relinquo dolens querens,
Quam reviso volens lubens
Vos ego! & tenerum in sinum,
Dia ad otia, gaudeo
Memet abdere vestrum! 20
Sive sub nemoris nigri
Delitere comis iuvat,
Et fluente brevi in tuni-
ca ad vagi Zephyri levem
Frigerarier auram: 25
Sive dulce loquaculi
Fontis ad gelidos specus
Sessitare, & aquam hac & hac

So-

Somnuli illecebram manu
Usque pellere lenta. 30
Tum modo ſpatiarier
Garrula cithara gravem :
Collis e ſpecula modo
Mille cernere puppium
Vela praetereuntum : 35
Quum calore Canis gravi
Terra & aequore perfurit;
Fervidoque Hyperione
Arctos iſta vacat gelu,
Triſtibuſque tenebris. 40
At dies brevioribus
Rapta quum ſpatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidae nivis
Imbriumque potentem, 45
Tum foco ſilüa integra
Advoluta hilarat domum :
Nos pigri utraque & utraque
Cruraque & latera indidem
Uſtulamus ad ignem. 50
Verna pingue mihi veru
Verſat, & pereat cavet
Ne qua ſtilla beatior :
Ac premens fovet offulis
Uncta cruſta ſuillis. 55
Promit hic ſibi Caecuba,
Miſcet ille Falerna : nec
Hic, nec ille ſpuit, negans

 Fir-

Firma Massica lenibus
Diluenda Calenis. 60
Tum satur Genium Laris,
Tum Larem Genii canit:
Stridulaque strepens cicu-
ta hinc & hinc male sobrio
Ter solum pede pulsat; 65
Usque dum veniens genis
Conniventibus, & pede
Debili Sopor, unus ut
Quisque eat cubitum monet
Oscitante labello. 70
Qui novi tibi flosculos
Veris explicet, explicet
Is minore negotio,
Nocte quot media micant
Clara sidera caelo. 75
Nec meum officium mihi
Excidit: facio Iovi
Maximo, reliquisque diis
Semper; ut decet, & boni
Tradidere parentes: 80
Sive Solis ad extimos
Cardines, citimosve se
Vertat annus, amabile
Sive rideat ad pares
Mollis aetheris horas. 85
Illa nocte dieque me
Cura fervidior coquit
Sola; cetera liberum;

Ne

Ne ſacri ulla operatio
Negligatur aviti. 90
Hic diu mihi vivere, &
Hic tandem liceat mori,
Semper & lateam immemor
Omninm, bene nec mihi
Saepe cognitus ipſi. 95
Quod meus FABIVS *ſuo*
Cum POLO *facit optimus*
Optimo, Capimontio
Rure qui ſibi candidum
Laetus exigit aevum. 100
Quod CASERTA *facit meus,*
PONTIETTA *facit meus,*
Ille moribus aureis
Clarus, hic fidibus ſacris,
Infulaque decorus. 105
Quod MAPHEVS *ad uvidi*
Rura frigida Tiburis
Nuper ambitioſius
Velle ſe quoque credulis
Iactitabat amicis. 110
At FARNESIVS *inclytus*
Vota diſſipat irrita:
Et iubet medio in foro
Scribat hiſtorias graves,
Ludicrumque poëma. 115
Sed FARNESIVS, *omnia*
Qui poteſt, mihi tum meum
Poſſet excutere ANNIVM,

 Quum

Quum suum imperium sibi
Poscet urbis & orbis. 120
Sic diu hic mihi vivere,
Hic mori liceat mihi:
Et FARNESIVS, *ut lubet,*
Possit omnia, maximo
Nil Avo minor olim. 125
Vosque agrestia numina,
Dii deaeque genus Iovis,
Este vos faciles mihi:
Vos Lares, Genius foci,
Intonate sinistrum. 130
Sic laetum vireat nemus
Semper, & vitreus fluat
Fons perenne, recentibus
Ara fumet odoribus:
Intonate sinistrum. 135
Ipse non Heliconio
Collis invideat iugo:
Ipsa non Aracynthios
Optet acta sibi modos:
Intonate sinistrum. 140
Nullus huc aditum ferat,
Nullus aut grege cum improbo
Pastor impius, aut mala
Ales, aut quadrupes fera:
Intonate sinistrum. 145
Nullus undisoni aequoris
Fluctus auribus obstrepat:
Nulla vos violentior

Fun-

Fundat aura Favonio:
Intonate sinistrum 150

X.

Ad ANT. PERENOTVM
Cardinalem.

QVVM *quisquam maris aestibus*
Deprehensus, truculenti & rabie Noti;
Iactatus lacera trabe,
Certus naufragii, vota deis facit;
Implerint subito leves 5
A puppi si animae lintea; & aestibus
Ereptus, rabie & Noti,
Terras prospiciat, quas petit; & prope
Accedat magis ac magis
Cara ad litora, caram ad requiem, & lares, 10
Non iam naufragium timens;
Attollit mediis laetus in aethera
Ex undis duplices manus;
Praesentesque supinus celebrat deos:
Quos sperat fore perpetes, 15
Purgato rapidis caelo Aquilonibus,
Dum terras cupidus premat.
Sarcit carbasa mox; & reficit ratem
Diris fluctibus erutam:
Tranquillo det hians ne pelago prius, 20
Quam portum subeat, latus;
Et, qui nunc fuerat praesidio Dei
Servatus, sua inertia
Magno cum opprobrio turpiter occidat.
Is, postquam incolumes tulit 25

Tan-

Tandem in litus amicum madidus pedes ,
Pictis vestibus , & trabe
Votivam superis pariete de sacro
Suspendit tabulam , memor
Quam vim suspiciat Numinis , & colat . 30
Cesset si auxilium Dei ,
Nil nostrum ingenium , nil valeant manus ;
Sitque incognita caelitum
Virtus , si nihil aequo ab Iove defluat .

XI.

De IOVIO .

POSTQVAM *relegit omnium*
Provinciarum IOVIVS *intimos lares ,*
Nec instituta subsistit
Via , vel alto territus montis iugo
Hinc dividentis Italos , 5
Illinc Iberos bellicosa Gallia ,
Vel aestuosis Hadriae
Illinc procellis , hinc profundis fluctibus
Turbatus inferi maris :
Sed inter acres evagatus milites , 10
Interque rauca cornua ,
Et fusa victorum hinc & hinc cadavera ,
Non otiosa indagine ,
Tot inde retulit libros annalium :
Mox utriusque litoris 15
Ora remensa , diligens felicibus
Piscator inde retibus ,
Avara quicquid ante Neptuni manus
Celaverat nobis , tulit .

Nunc

Nunc inquietus patre deductus Iove,
Animusque iam terrestribus
Non rebus explendus, velut celeri Noto
Elatus, ubi caelestibus
Explere sese latius bonis potest;
En aureo promit penu, 25
Quantum supremo Iuppiter manu polo
Pulchri recondit: & quia
Numquam moveri caelites queunt loco,
Ut sustulit fati dies,
Veras recepit singulorum Imagines: 30
Quas deditas Apollini,
Musisque Latium colentibus lacum,
Beata continet domus.
Has si videre longa te vetat via,
Aut morbus, aut senium grave, 35
Praesens libellus indicabit, aureo
Quovis monili carior.
Vos hinc remordet illa si cura, arduum
Tentate caelum, posteri;
Quod summa virtus sola dat recludier. 40

XII.

In obitu ARSILLI
Medici & Poeta.

ERGO *videmus lumine hoc spirabili*
Cassum iacere te quoque;
Ut plebe quivis unus e vili iacet;
ARSILLE *magno Apollini,*
Novemque Musis care? sive poculis 5

Prae-

Praesentibus morbi graves
Essent levandi ; sive dulci carmine
Dicenda mater aurea
Cupidinum , lususque furtorum leves :
O vota nostra inania ! 10
Quid dura fati non potest necessitas ?
I , da lyram mihi , puer ;
Manuque funde proniore Caecubum .
Nunc sunt Lyaei munera ,
Nunc plectra cordi , nunc iuvat lectissimo 15
Cinxisse flore tempora .
Sicci , tenebris obsiti , tristi in Styge
Fortasse cras silebimus .

XIII.

In effigiem

FARINATAE VBERTI.

SERVATA *per te patria quod tum maxime*
Sit quum misera casura fuerat maxime ;
Nunc optimo tu iure , praeter ceteros ,
O belli , & idem pacis artibus inclyte
VBERTE , *patria vivis in superstite ,* 5
Vivesque dum vivent sacri annales IOVII .

† XIV.

De NOSTRADAMO Astrologo.

NOSTRA *damus , cum verba damus, nam fallere nostrum est ;*
Et cum verba damus , nil nisi nostra damus .

HONORATI FASCITELLI AESERNIENSIS *CARMINVM* LIBER II.

I.

Ad FARNESIVM Cardinalem.

FARNESI, *tibi non ſat eſt, ut aiunt,*
In magnis voluiſſe; nam puſilli
Illud eſt hominis Tibullianum.
Te, qui maximus es, deûmque proles,
Decet maxima quaeque iure poſſe: 5
Quamvis ſors etiam Maronianum
Perrupiſſe Acheronta ſit neceſſe.
Jam ſcis quod volo; perfice ut ſatis ſit;
Hac via, aut alia, nihil laboro:
Tantum perfice. quod remordet, hoc eſt. 10

D *Sic*

Sic tu terque quaterque diis secundis,
Diu terque quaterque sis beatus.

II.

Ad NICOL. ARDINGHELLVM Cardinalem.

EST *quidem hoc aliquid, fatemur omnes,*
Non magnum modo in urbe te, sed inter
Patres posse videre purpuratos.
Est quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
ARDINGHELLE: *fatemur, & frequentes* 5
Hinc, atque hinc tibi gratulari avemus.
Sed quod sit satis, id negamus omnes,
Quantum quod pote plurimum negari.
At, quum maximum in orbe viderimus,
Insignem triplici aurea tiara;
Quae virtus tua, nostraque omnium est spes;
Tum vero id poterit satis videri.

III.

Ad F. CORNELIVM.

UNVS *qui reliquus mihi patronus,*
CORNELI, *fueras, vetusque amicus;*
Qui excelso usque animo esse me iubebas
Firma in spe eximiaque, maximaque,
Ut iam istos facerem pili beatos: 5
Nunc diversus abire, nunc videris
Idem non animo esse, non loquela.
Et, quod me cruciat magis magisque,
Nullam ob causam aliam nisi ob facetam
Unam, ridiculamque, futilemque. 10
Quod FARNESIVS *ad iocum libenter.*

Re-

Refert omnia; qui soles iocari
Tecum; & cui fuerit bono, rogare.
Atque hic tu, mihi per iocum, atque lusum
Verbis illius (o novos lepores !) 15
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, salisque
Plenum. sed, mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, denique ipsa
Nae tu proderis oscitatione. 20
Tun' me? tun' mihi? qui tibi. sed ad rem.
Amabo, mihi desine ista, posthac
Plane frigida. Sin, vide, palam, clam
Profecto ad IOVIVM *elegantiarum*
Appellabo parentem. habet paratas 25
Is chartas, calamosque, sive Etruscos
Malis, sive etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus:
Quibus quum historiam politiorem
Conscribillet ab orbe condito omnem, 30
Illustrans, celebransque & hos, & illos:
Iure amicitiae petemus, ut te
In hos inserat, & tuos lepores.

IV.

Ad PAVLVM IOVIVM.

NAE *debent* IOVIO *viri elegantes,*
Bonis artibus his, & his politi.
Nae debent IOVIO *elegantiarum*
Parenti, artibus omnibus polito,
Quantum vix animus capessat ullus; 5

 Nec

Sic tu terque quaterque diis secundis,
Diu terque quaterque sis beatus.

II.

Ad NICOL. ARDINGHELLVM Cardinalem.

EST *quidem hoc aliquid, fatemur omnes,*
Non magnum modo in urbe te, sed inter
Patres posse videre purpuratos.
Est quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
ARDINGHELLE: *fatemur, & frequentes* 5
Hinc, atque hinc tibi gratulari avemus.
Sed quod sit satis, id negamus omnes,
Quantum quod pote plurimum negari.
At, quum maximum in orbe viderimus,
Insignem triplici aurea tiara;
Quae virtus tua, nostraque omnium est spes;
Tum vero id poterit satis videri.

III.

Ad F. CORNELIVM.

UNVS *qui reliquus mihi patronus,*
CORNELI, *fueras, vetusque amicus;*
Qui excelso usque animo esse me iubebas
Firma in spe eximiaque, maximaque,
Ut iam istos facerem pili beatos: 5
Nunc diversus abire, nunc videris
Idem non animo esse, non loquela.
Et, quod me cruciat magis magisque,
Nullam ob causam aliam nisi ob facetam
Unam, ridiculamque, futilemque. 10
Quod FARNESIVS *ad iocum libenter.*

Re-

Refert omnia; qui ſolet iocari
Tecum; & cui fuerit bono, rogare.
Atque hic tu, mihi per iocum, atque luſum
Verbis illius (o novos lepores!) 15
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, ſaliſque
Plenum. ſed, mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, denique ipſa
Nae tu proderis oſcitatione. 20
Tun' me? tun' mihi? qui tibi. ſed ad rem.
Amabo, mihi deſine iſta, poſthac
Plane frigida. Sin, vide, palam, clam
Profectο ad IOVIVM *elegantiarum*
Appellabo parentem. habet paratas 25
Is chartas, calamoſque, ſive Etruſcos
Malis, ſive etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus:
Quibus quum hiſtoriam politiorem
Conſcribillet ab orbe condito omnem, 30
Illuſtrans, celebranſque & hos, & illos:
Iure amicitiae petemus, ut te
In hos inſerat, & tuos lepores.

IV.

Ad PAVLVM IOVIVM.

NAE *debent* IOVIO *viri elegantes,*
Bonis artibus his, & his politi.
Nae debent IOVIO *elegantiarum*
Parenti, artibus omnibus polito,
Quantum vix animus capeſſat ullus; 5

Nec

Nec vivi modo, qui vident, amantque
Urbani ſenis & ſalem & lepores;
Sed quos lumine adempto avarus Orcus
Quis ſcit quo cohibet loco miſellos?
Nam facit IOVIUS *ſuis tabellis,* 10
Excultis lepido ſuo labore,
Leti funera non timere vivos;
Vitam vivere mortuos perennem.

V.

Ad eumdem.

IOVI, *quem pote nil novi latere,*
Reſciſtine hodie, tuum ſodalem,
Qui te plus reliquis tulitque, fertque,
Et ſemper feret in ſuis ocellis,
A duro tibi Samnio rediſſe? 5
Neges o utinam, ſenex beate;
Sic ſit, ipſe ego nuntiuſque primus,
Biſque hoc nomine carus eſſe poſſim.
Sed ſeu ſic habeat, quod ipſe malim,
Se res, ſive aliter; tuus ſodalis 10
A duro tibi Samnio reverſus
Te ſalvere iubet, manuſque pronus
Abſenti, ut licet, oſculatur ambas.
Hoc primum: a regione tum remota
Vectos caſeolos dat, atque pernas; 15
Addit praeterea lepuſculoſque
Duos, quos ab Anagniae ruinis
Venator tibi tradidit ferendos.
Tu ne deſpice qualecunque munus;

Paul.

Paullo post aderit sodalis ipse 10
Cum rerum tibi sacculo novarum:
Canet versiculos suos iocosos;
Tu gravem historiam tuam repones.

VI.

In GIBERTVM puerum.

GIBERTI *ingenium bonas per artes*
Excultum celebramus urbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda:
Hinc laus ipsa perennior petenda. 5
Hoc GIBERTVS *amat, puer disertus,*
Contemta iuvenum procacitate.

VII.

Ad DEOS.

O' *inter veterem, & novam Theaten*
Qui me, dii, statuistis immerentem,
Quid vobis voluistis? an poëtam
Vestrum perdere per iocum, atque ludum?
Nam quid feci ego, quidve sum locutus, 5
Cur vos tam male me, male atque acerbe
Haberetis, ineptiusque multo,
Quam Rheae deceat genus beatum?
Esto enim mala nostra vos iuvabant:
Una non satis, & super Charybdis 10
Erat? quorsum opus addidisse Scyllam?
Sed freto bona ficus in Sicano
Duci Dulichio tulit salutem:
Nobis in Latio salus Latinis

Est

Est a montibus expetenda summis; 15
Ut Phoebus cithara increpans sonora
Ter per somnia visus admonere.
Quare Tibridis ad fluenta, montes,
Qui gratissima regna diis tenetis,
Caelo vertice proximi, & decorum 20
Incincti triplici caput tiara,
Summos vos adeo, rogoque supplex,
Ut monstro me ab utroque liberetis.
In sinu liceat latere vestro,
Et sacra recreare me sub umbra 25
Non fici Siculae; sed innocentis,
Floridae, peramabilisque olivae:
A cuius mihi ramulis in orbem
Plexis Palladiam petam coronam;
Et colam omnia vestra dicta, facta. 30
Sic post saecula longa & usque & usque
Vobis non modo collium superbas
Septem assurgere gratulemur arces;
Sed magnum Oromedonta, & ipsum Olympum.

VIII.

De LIVIAE COLVMNAE Rom. oculis.

OCELLI *nitidi meae puellae,*
Puellae lepidissimae, & venustae,
Quantum non alia ulla, cui per urbes
Forma excellere contigit Latinas;
Ocelli nitidi, quid accidisse 5
Vobis (me miserum!) audio molesti?
Vos horror malus, & malae tenebrae,

Vos furvis nigra nox obumbrat alis?
Et qui sideribus pares eratis,
Nunc caligine hebescitis profunda? 10
O nimis male, nequiterque factum!

IX.

Ad eosdem.

NAE, *si vos, nitidi & venusti ocelli,*
In magnum superi ferent olympum,
Inter aetherias faces locandos;
(Ut percrebuit, & dolemus omnes)
Nae duri superi, misilli homulli. 5
Sed quando superi; nec in beatos
Ius aegris, neque fas; quod unum, & ingens
Solamen reliquum, valete, ocelli;
Ocelli nitidi meae puellae,
Avete, atque valete; deque summo 10
Posthac vertice mi micate caeli.
In terris ego ture vos, & ara,
Et cantu citharae colam sonorae,
Incensus magis in dies magisque
Sanctarum liquido igne pupularum. 15

X.

Ad eosdem.

POSTQVAM *vos nitidi & venusti ocelli,*
Ocelli nitidi meae puellae,
Inter sidera diis referre visum est;
Nos vestra sine luce multa passi,
Eo nomine gratulari habemus, 5
Quod iidem dederunt mali levamen,

Ter-

Est a montibus expetenda summis; 15
Ut Phoebus cithara increpans sonora
Ter per somnia visus admonere.
Quare Tibridis ad fluenta, montes,
Qui gratissima regna diis tenetis,
Caelo vertice proximi, & decorum 20
Incincti triplici caput tiara,
Summos vos adeo, rogoque supplex,
Ut monstro me ab utroque liberetis.
In sinu liceat latere vestro,
Et sacra recreare me sub umbra 25
Non fici Siculae; sed innocentis,
Floridae, peramabilisque olivae:
A cuius mihi ramulis in orbem
Plexis Palladiam petam coronam;
Et colam omnia vestra dicta, facta. 30
Sic post saecula longa & usque & usque
Vobis non modo collium superbas
Septem assurgere gratulemur arces;
Sed magnum Oromedonta, & ipsum Olympum.

VIII.

De LIVIAE COLVMNAE Rom. oculis.

OCELLI *nitidi meae puellae,*
Puellae lepidissimae, & venustae,
Quantum non alia ulla, cui per urbes
Forma excellere contigit Latinas;
Ocelli nitidi, quid accidisse 5
Vobis (me miserum!) audio molesti?
Vos horror malus, & malae tenebrae,

Vos furvis nigra nox obumbrat alis?
Et qui sideribus pares eratis,
Nunc caligine bebescitis profunda? 10
O nimis male, nequiterque factum!

IX.

Ad eosdem.

NAE, *si vos, nitidi & venusti ocelli,*
In magnum superi ferent olympum,
Inter aetherias faces locandos;
(Ut percrebuit, & dolemus omnes)
Nae duri superi, misselli homulli. 5
Sed quando superi; nec in beatos
Ius aegris, neque fas; quod unum, & ingens
Solamen reliquum, valete, ocelli:
Ocelli nitidi meae puellae,
Avete, atque valete; deque summo 10
Posthac vertice mî micare caeli.
In terris ego ture vos, & ara,
Et cantu citharae colam sonorae,
Incensus magis in dies magisque
Sanctarum liquido igne pupularum. 15

X.

Ad eosdem.

POSTQVAM *vos nitidi & venusti ocelli,*
Ocelli nitidi meae puellae,
Inter sidera diis referre visum est;
Nos vestra sine luce multa passi,
Eo nomine gratulari habemus, 5
Quod iidem dederunt mali levamen,

Ter-

Terrarum miseram vicem dolentes:
Ut quicumque levi secant faselo
Magnae navifragum salum Diones,
Illis vos Helice petita nautis, 10
Vos sitis Cynosura iam futuri.
Ergo quod superest, miselli amantes,
Ne frustra irrevocabiles fleamus;
Sit finis lacrimis, modus querelis:
Et mecum Veneris patens per aequor 15
Hos iam suspicite, hos duces habete.

XI.

Ad PETRVM MYRTEVM.

MISI *caseolum meo poëtae;*
Ille continuo suae puellae
Misit turpiculae atque ineleganti:
Tanti me meus aestimat poëta.
Post paullo suus it puer, reditque 5
Ad me versiculis novis onustus,
Quaerens quod dominus comesse possit.
Mittam, MYRTEE: *qui negare possum?*
Sed prius mihi dic, rogo, quid omnes
Vos summi, & lepidissimi poëtae 10
Musas dicere virgines soletis;
In lustris tamen improbe adlubescit
Enectas scabie, & fami perire?

XII.

In ASPASIVM malum Poetam.

AD *me tam stupidi, & mali poëtae*
ASPASII *maledicta nunquid bilum*

Per.

Pertinent, rogo? noti uterque nostrûm
Bonis omnibus, & malis ad unum,
Ego, atque ille sumus suis uterque.
Solum me miseret dicacitatis, 5
Qua fertur stolidus, ruitque praeceps,
Caecus nequitia, in meos Iambos.

XIII.

In Diem natalem suum.

NATALIS *meus est. Io, sodales,*
Urantur pia tura diis amicis,
Vitae auctoribus, & Iovi supremo
In primis hominum, & deûm parenti:
Post Iovem neque Iuno, nec Minerva, 5
Sed FARNESIVS *inclytus colendus,*
Bona cum venia omnium deorum:
Nam in terris prope par Iovi supremo;
Luce non alia, sed ipsa eadem,
Vitae principium ut dedit mihi ille; 10
Hic cultum addidit, & decus: paremque
Iussit, & similem esse me deorum.

† XIV.

Ad Lydiam.

FORMA, LYDIA, *munus est deorum*
Votis omnibus omnium petitum;
At fugax nimis, & brevi caducum;
Proin te commonitam velim, puella,
Quae forma nimium bona superbis; 5
Deûm munera ne sinas perire,
Integros tibi dum licet per annos.

† XV.

Ad Doritillam.

SIS *vivax, agesis, anusque fias,*
Quod nulli liquet, evenitque paucis:
Sed pone. hoc tibi Iuppiter secundet,
Ut deos prece, DORITILLA, *quaeso.*
An tu propterea fugacis aevi 5
Vives immemor, & brevis iuventae?
Omnes nocte senescimus vel una.

† XVI.

Ad Olyben.

SAT *datum speculoque, pectinique:*
Non sic est, OLYBE, *colenda forma.*
Colonus laterum valentiorum
Est opus tibi perferens laboris;
Qui iunctis iugo abeneo iuvencis 5
Duro vomere pingue verset arvum:
Versatum subigat gravi ligone,
Quaqua versus arata sarriendo,
Dulci semine compleat subactum.
Sic est, sic, OLYBE, *colenda forma.* 10

† XVII.

Ad eamdem.

IT *dies,* OLYBE: *sape, atque vive.*
Iactura irreparabilis diei est!
Cras sparsum nive verticem videbis,
Et mirabere candidum capillum.
Cras innixa bacillo, arata rugis 5
Adlatum speculum oderis CORINTHO:

Tum

Tum custos cineris tremes ad ignem,
Nec colus studiosa, nec quasilli.
Et fumum increpitans, malamque tussim,
Excrealis anhela pingue viscum: 10
Quod postquam opposita manu labellis
Sicco e gutture, faucibusque raucis
Iam tandem expueris, pedes ad ipsos,
Vix domes solea diu terendo.

† XVIII.

In Paedagogos.

LITTERATO *homine elegantiorem*
In terris hominem videre non est.
Contra nil pote inepto, & imperito
Profligatius esse paedagogo:
Quales CASSARIO, *puta, aut* MIOLLVS. 5

† XIX.

Ad SCIPIONEM CAPYCIUM votum
pro infirma CAMILLI ARCELLAE valetudine.

O *qui nuntius hic malus,* CAPYCI,
Malus nuntius hic, gravisque tantum,
Quantum non ego sustinere possum:
Qui nostrum mihi, vocula trementi,
ARCELLAM *mihi, Sirio furente,* 5
Non belle satis attulit valere.
Quo sum tam male de repente fractus,
Ut possim prope mortuus videri,
Prae metu exanimatus, & dolore:
O *qui nuntius hic malus, gravisque!* 10
At COSMA, & DAMIANE, *vos gemelli,*

Vos COSMA, *&* DAMIANE, *qui potestis,*
Huc rogamus adeste, opemque ferte;
Et de pixidibus bonis benigni
Ambo, quas geritis manu sinistra, 15
Certae promite farmacum salutis;
Ut langore levetur IS, *gravique*
E morbo recreetur; & colore
Oris egregio integer, valensque
Nobis restituatur: Id beati, 20
Id, si vos mihi feceritis: o quae
Reddam munera debita ipse vobis.
Aedes marmoreas utrique ponam;
Atque aras geminas, dicans gemellis,
Solemni faciam sacro quotannis; 25
Et votum solüam, in diesque plura
Cum cantu, fidibusque consecrabo:
Inscripti lapides notas habebunt
Grandeis, conspicuasque, continentes
SERVATORIBVS OPTIMI VIRORVM. 30
At at se bene res habet: videtis,
Ut toto capite annuere Divi?
Iam iam convaluisse noster aeger,
Iam surrexe feretur è cubili,
Et tota volitare firmus urbe 35
Vatum cura vocatus, & Deorum.

† XX.

De CAMILLO eodem.

QVIS *clamat foris, ostiumque pultat?*
Nemo est (me miserum!), hoc imaginosum est;

Aper-

Apertis oculis, meridieque,
Arcto non secus ac sopore pressus,
Tot & tanta videre me videri;
Iterque omnia, tanta totque prorsus,
Cornei nihil, omnia ex eburno:
Ni forte hoc quoque somniamus ipsum.
Nunc demum scio, nec prius sciebam,
Quid peccare vocetur, & quod aiunt 10
Perversa ratione, perque plexa.
Nil est, & tamen esse mî videtur.
Perperam loquor, audioque quæ nec,
Quae nec, quae neque. Dii boni, deaeque!
Faxit Iuppiter, haec ferant Camillum. 15
Quid dixi? ah volui ferant salutem.

† XXI.

In eumdem.

O socj teneri, leves cachinni,
O meum lepidissimum CAMILLVM!
Prospecta ex specula, puer, cubili,
Provise ex platea meum CAMILLVM,
Provise, an veniat. venit? quid? an non? 5
Quo mens, atque animus male avolarunt?
Tolle hanc, improbe, culcitram molestam.
Hoc ad rem, illa quid ad sitim, atque febrim?
Culcitram sine: stragulum volebam.
Stragulum mihi, stragulum molestum est.
Hoc aufer, sine culcitram: sine, inquam.
Tu me ipsum quoque: sat scio, sceleste.
Ut dii te potius, tuosque ad unum.

Quae

Quae secum ipse? etiam taces? Tace, inquam,
Paste nequitia, impudentiaque. 15
Cras est continuisse murmur illum;
Si stratis ego surxero, quiesces.

† XXII.

Fragmentum de eodem.

O fontes gelidique, splendidique,
Quando vos mihi per meum CAMILLVM
Totos faucibus occupare siccis?
Ripae in gramine, marginumque musco
Saltabit LYCABAS, *canet* CAMILLVS; 5
Dulci singula condiens lepore,
Ac simul cithara, simul cicuta
Valles, & nemora alta personabit
Myrto tempora vinctus, & corymbis.

† XXIII.

Ad IVLIVM CAESAREM.

IVLI CAESAR, *abesse me ducenta*
Abs te millia passuum, dolebas;
Cum tu Parthenope beatus esses,
In duris ego Bruttiis morarer:
Hoc blandis mihi nuntiare verbis, 5
Hoc te scribere saepe tum iuvabat.
Hortabare Neapolim redirem;
Et multis per epistolam rogabas,
Cur non Brutia terra displiceret?
Addebas quoque, te Lares habere 10
Conductos Laribus meis propinquos;
Ut me nocte, dieque adire posses.

A te

A te quae mihi missa cum legebam,
Quid dicam dominata regna Persis?
Nec caelum poteram Iovi invidere. 15
Nunc, postquam redii, nihil dolemus;
Nil vicinia nostra gratulatur;
Quis credat mihi? Vix procul salutor;
Pertuso omnia ea e sinu excidere.
Quare ista ratione iam valebis; 20
Absenti mihi amicior futurus,
Et miris male me modis habenti.
Edonos hyeme truces petemus
Ebrus quâ gelidis riget sub arctis:
Aestate Ethiopas vagos vel illa 25
Ipsa sub Blenûum patente rupe,
Quâ Nilus pater abditur, latetque,
Nec mortalibus amplius videtur.

† XXIV.

Ad TOLEDAM.

DE *te quae mihi dictitat Camoena*
Ad te scribere, cum volo, TOLEDA;
Semper Iuppiter abnuit, vetatque,
Vel unum excipiam, alterumque verbum.
Causam Atlantide natus esse dixit; 5
Quod te non deceant domestici illi,
Leves versiculi, minutulique;
Quales nunc facio; nec erubesco:
Sed vel carmina quae canente Phoebo
Stant plectro graviore personanda: 10
Vel pede, & numero vago, & soluto

Quas

Quas laudes proprias habet Minerva.
Vel haec est igitur mihi, vel ille
Expectandus, ut adsit; aut silendum:
Tanti non ego sum, Iovi ut repugnem. 15

XXV.

In SABELLAM Rom. puellam lepidiss.

O os purpureum, genaeque laeves
SABELLAE, *o tenerae manus eburnae,*
Dentes candiduli, venusti ocelli:
Quibus candidius, venustiusque
Nec candor potis esse, nec venustas: 5
Qui vestra glacie Notum rigere,
Aut vestra Boream tepere flamma,
Stulti versiculis canunt ineptis,
Ah quanto satiusque veriusque
Me aegrum, flante Aquilone, flante & Austro, 10
Dicerent tremere usque & aestuare!

XXVI.

In eamdem.

SABELLAE *ocelli, non ocelli, sed vagi*
Soles duo minutuli:
Labella, non labella, sed corallia
Saxis tenella in candidis:
Si vos rigentum flabra ventorum horrida 5
Dissuaviari insaniunt,
Nec est manu, vel pallio procacium
Arcere pervicaciam;
Nos perditos, qui carne molli, & ossibus
Non saxeis plane sumus, 10

Quo-

Quonam putatis esse posse corculo?
Qua mente? nec plura attinet.

† XXVII.

Iocatur in pueros optimos.

Mî ocelle SEPTIMILLE, *mî venuste* SEPTIMILLE;
Meique tu FABVLLE, *cura candidi sodalis,*
Cuniculis tenellulis magis tenelluli ambo,
Adeste. quid moramini? vorate ventitantes
Viam. CASELLA *te tuus mî ocelle* SEPTIMILLE,
QVADRIMANVS*que tî tuus* FABVLLE *succiplene*
Adsitis, huc rogant simul, simul miselli . . . :
. . . .
. . . . *mora omnis absit, huc puelli adeste.*
Adeste, quid moramini? vorate ventitantes
Viam simul, Gemelle Castor, & Gemelle Pollux.

† XXVIII.

Ex Graeco IVLIANI Aegyptii.

DVDVM *percurrens platulum,*
Quo mî corollam necterem;
Forte incidi in Cupidinem
Rosae latentem flosculo.
Heus perditissime omnium 5
Quot sunt, fuerunt, atque erunt;
Heic insides, inquam? & simul
Ala prehensum proximo
Mersi lyei canthars;
Mersi misellus & bibi. 10
At nunc mihi in praecordiis,
O ille quas turbas facit!

FINIS.

F

SELECTA
Illustrium Poetarum
AD HONORATVM FASCITELLVM
Et De Fascitello
CARMINA

M. ANTONIVS FLAMINIVS
Lib. V. n. XXXV. pag. 150.
Edit. II. Cominian.

Ad
HON. FASCITELLVM.

Fascitelle, quid otio in beato
Dictavit tibi roscidis sub antris
Musa candida? nil soles profecto
Umquam scribere laurea corona
Non dignum. Ipse miser tumultuosa
Urbe detineor: tibi benignus
Dedit Juppiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete,
Inter Socraticos libros, & inter
Nymphas, & Satyros, nihil profani
Curantem populi leves honores.
Verum, sive aliquid Marone dignum
Pangis, sive modis Horatianis
Iuvat ludere, quidquid est, sodali
Tuo mitte. alii sibi, atque Musis
Scribant: tu cave, carmina occulas, quae
Digna sunt medio legi theatro.

 sci-

SCIPIO CAPYCIVS

In calce lib. II. De Principiis Rerum.

Tum vitae unanimem ſocium comitemque laborum
FASCITELVM, irati rapuit quem numinis ira,
Redde meum. nil triſte illo durumque recepto.
Ipſe tuam caelo demiſſam virginis alvo
Progeniem, canet ille duces, magnique triumphos
AVALIDAE, qui nunc vires Orientis, & acrem
Impia compreſſit reparantem praelia Gallum.

† IANVS ANYSIVS

Var. Poematum lib. I. pag. 11. a t. per Sulsbachium. Neap. 1538. *in* 8.

Ad HONORATVM & SCIPIONEM.

Plerique ſunt hodie homines HONORATE,
Et SCIPIO, par elegans amicorum,
Quos fronte cernas ſplendida, intus obſcuri
Cum ſint, gerantque tartarum in animo clauſum.
O ſi liceret proloqui notis claris!
Sed iſta adulterata merx, ſubaeratum
Aurum, comâ aureâ arietes, dabunt tandem
Poenas & hic, & tetrici ad domum Ditis.

† HON. DOMIN. CARAMELLA

In Muſæo Illuſtrium Poetarum, qui ad hæc uſque tempora latino carmine ſcripſerunt Venetiis 1652. *in* 8. *pag.* 127.

HONORATVS FASCITELLVS.

Lacteus eſt Vates. cur lacteus? undeque lactis
Nomen habet? verſu eſt candidus, atque tener.

Delicatus Vates eſt FASCITELLVS. Ejus carmina ſunt impreſſa cum reliquis in Delitiis Poëtarum.

FRAN-

† FRANC. FRANCHINI.

Basileae 1558. *in* 8. *p.* 63.

Ad

HON. FASCITELLVM.

Bruma rigente Fascitelle frigida,
Ab usque Belgis ultimis,
Profectus adsum membra languida omnia
Labore perfractus gravi:
Ut qui vorarim Octavio duce impigro
Equis iter citissimis:
Periculorum nunc juvat sub Caesare
Obisse casus plurimos;
Juvat tot evasisse Mavortis minas,
Tot juga, tot amnes, & nives:
Lustravimus Germaniam, & Germanos
Mores, & urbes vidimus.
Extenta latis illa terris cum foret,
Lateque quondam jus daret;
Non sedibus contenta, non regnis suis,
Excessit audax finibus,
Patriaeque longius undecumque terminos
Armis propagavit potens,
Trans Vistulam, trans Danubi, & Rheni vada
Extendit invictas manus:
Omnesque sceptris subdidit conterminas
Suisque gentes fascibus.
Inculta quondam, inarata, sylvis horrida,
Stagnansque erat paludibus,
Nunc oppidis pulcherrimis gaudet frequens,
Amplissimis & urbibus:
Aperta passim versat arva vomere,
Hortosque pictos sarculis:
Pendentibusque poma de ramis legit
Per prata late olentia:

Nec-

Necnon & uvas ex opacis vitibus,
  Quas educat Rhenus pater.
Provinciae non unus imperat, tenent
  Heic fceptra multi principes;
Urbefque legibus vivunt fuis,
  Et jura late dant facra:
Se claritate fanguinis jactant palam
  Anteire gentes caeteras,
Illuftre nam plebejo diti licet;
  Non mifcet unquam fe genus.
Veftis habitus verficolor eft cunctis, toga
  Se ferica pauci tegunt,
Fere omnibus de pelle pallium eft lupi,
  Alterius aut villis ferae,
Ad hyemis, & vim frigorum arcendam afperam
  Infigne mollioribus.
Acri pruina obfeffi, & aftricto gelu,
  Actique faeva grandine;
Conclavibus laeta otia occlufis agunt,
  Temnuntque nimbos, & nives.
Pomis agreftibus, hordeoque, & tritico,
  Herbifque fuave halantibus,
Munera imitantur fedulo Bacchi patris,
  Ob inopiam vini gravem;
Ducunt libenter prandia, & fando moras,
  Horafque potando terunt:
Rufticus habetur, antequam bibat, aut malus,
  Qui non propinat alteri.
Fieri poteft e chalybe quidquid, & cedro,
  Auroque faciunt affabre.
Clari eruditione, non pauci facris
  Male fentiunt de ritibus.
In bella ferro lucido tecti ruunt,
  Tormenta torquent acriter:
Optima cingunt latera latis enfibus

Bre-

Brevibusque, & absque cuspide,
De more caesim patrio pugnant, nefas
Hostem impetere punctim, & scelus.
Gens magnitudine corporum insignis, minas
In fronte turgidas gerit;
Legem severam militaris ordinis
Observat imperterrita:
Immota, voce ferrea, hostem in praelium
Vibrans sarissas provocat:
Hinc & premit, funditque numero militum
Praestantiores copias:
Utque adeo, ut acri Marte fortis saepius
Stragem cruentam fecerit.
Diroque fato Romuli nepotibus:
Abstulerit imperii decus;
Sibique nostra signa vendicaverit,
Et sceptra terrarum ferox.

IO: MATT. TOSCANVS

Carm. Illustr. Poet. Ital. tom. I. pag. 257.

Citria mala tuae, & quot flores Parthenopes, tot
Munditiae versus sunt, FASITELLE, tui.

IDEM

Pepli Italiae lib. III. pag. 78.

HON. FASCITELLVS

Episcopus Insulensis.

FASCITELLE, fatum blandae Sirenis ad urbem
Te probat ille, madent quo tua plectra, lepos.
Parthenope aeternos veris tua fundit honores:
Perpetuo vernat flore Camoena tibi.
Citria nativo patriae auro mala renident:
Aurea sunt Musae pignora cuncta tuae.
Quam tibi cum patria bene convenit! illa poëtae
Est patria, at patriae es ipse poëta tuae.

† IAN. PELVS. CROTONIATA

Lusuum lib. IV. pag. 77.

Neap. apud Jo: de Boy. 1567. *in* 8.

HONORATI FASCITELLI.

Tumulus

Qui veteres docto referebat carmine vates,
 Hac FASCITELLVS contumulatur humo.
Quid stabile, aut firmum speres tibi in orbe viator?
 Si tantum rapuit Parca maligna virum?

F I N I S.

I. VINC.

IANI VINCENTI MEOLAE

ADNOTATIONES

ET VARIANTES QVAEDAM LECTIONES AD HONORATI FASGITELLI *CARMINA*.

L I B. I.

A L F O N S V S.

ALfonsus, Innici F. Avalus, Vasti Marchio, Neapoli natus est, anno, post Christum natum, MDIII. Hic ab ephebis postquam excessit, litteris melioribus excultus, Caroli Cæsaris V. castra secutus est, viam præmonstrante Ferr. Franc. Avalo patruele suo. Verum, ut is, sine prole, Mediolani satis florenti ætate vita cessit, anno nim. 1525. Piscariæ dominatum perinde, ac omnes ejus in Cæsariano exercitu dignitates Alfonsus est consecutus. Itaque hujus non uno tempore pugnata bella attingit Noster Auctor miro hoc carmine; præcipueque Tuneti expugnationem, quam Alfonso acceptam retulit Cæsar. Nupsit Joannæ Aragoniæ feminæ amplissimæ singularissimæque, ex qua nonnullos accepit liberos; eosque brevi orbatos reliquit, an. nim. 1546. cum Insubriam pro Cæsare, meliorum hominum plausu, moderaretur. Hic amicitiam præcipuorum ea tempestate virorum qua litteris, quave artibus florentium inivit; scripsitque plurima italice carmina, lectu dignissima: quæ quidem carmina MSStis aucta, inque unum collecta, non seposita etiam epistolarum ejus τῃ συλλογῃ, in forulis habeo: utinam edenda! Sed fortasse lucem videbunt, ubi, quam ego valde exquiro, MSta item ejus vita accedat, ab Jo. Tonso coevo latinissime conscripta. Præterea extant in ejus laudem duo cusa numismata, quæ vide in Musæo Mazzuchelliano Tab. L. n. v. & vi. una cum effigie Ferr. Franc. Avali;

vali; quorum alterum in aversa parte habet AFRICA CAPTA C. C. ideſt *Carolo Cæſare*.

V. 58. *Tempore q. m.* LAVTRECCVM &c.

Gallorum videlicet ducem infenſiſſimum; qui ar.ni fallor, 1527. longa premebat obſidione civitatem, atque hoſtilibus adeo armis vexabat, affligtabatque omnem rem Neapolitanam. Videſis Jovium in Hiſtoriis, atque omnes Hiſt. noſtræ ſcriptores. Verum hic immanis injuriæ altrici muſarum civitati illatæ, ultore marte, pœnas perſolvit, cum ab obſidione haudquaquam vivus receſſerit.

V. *eod. Ligur* AVRIA &c.

Nimirum Andreas Oria Genuenſis, qui uno eodemque tempore, quo Lautreccus terra, ipſe mari acerrime pugnam pugnavit ad Minervæ caput, ſinumque Amalphitanum, Gallicas ſectatus partes; quo in bello omnem prorſus Cæſarianorum potentiam concuſſit. De quo navali bello vide mirificam Paulli Jovii, qui interfuit, deſcriptionem, inter italice ſcriptas epiſt. quæ ad Clem. VII. P. M. eſt, num. 1. Sed & hic Auria ab inclinata poſtmodum, & prope jacenti Franc. Regis Gallorum fortuna ad excitatam Cæſaris deſcivit; quam rem adeo ſplendide perſtringit N. Interea vide de Auriæ, ſive Oriæ, laudibus Lud. Pariſeti Regienſis carmen perrariſſimum, quod, *Epænum*, inſcripſit: *De victoria apud Coronas Peloponneſi &c. Neap.* 1533. in 4.

V. 192. *Victori impr. med.* VICTORIA &c.

Quæ fuit Ferrantis Franc. Avali uxor, Victoria, ſcilicet, Columna; quæque adeo per ora omnium tunc temporis litteratiſſ. hominum volitavit, ut nemo itala ejus, quæ ſcripſit carmina nimium non prædicaret: cuique ſiſti voluit carmen hoc N.A. Hujus vide, quæ a nitida carminum editione, cum Corſi notis, fortaſſe exulant epigrammata, retulitque in fine *Vocabularii* ſui Fabricius de Luna. Neap. 1535. in 4.

II.

In CAROLI M. effigiem.

Extaſſe effigiem in Muſæo Paulli Jovii Comenſis, inter alias virorum qua litteris, quave armis celebriorum tabulas, vulgatiſſimum eſt. Atque hoc domi Muſæum, inſtituta præcipuorum per id temporis litteratorum Academia, quo videretur ornatior ac ſtudiis convenientior locus, dum Romæ eſſet, Jovius excitavit. Sed exinde Roma tranſvectum, in patria tandem ſua conſtitui voluit auctor ipſe.

V. 24. *Te magni div.* JOVII &c.

Elogiorum libros intelligit, quos, ubi tabularum, quas collegerat, deſcribendarum amore captus eſt Jovius, duobus concluſit voluminibus: addiditque inſuper, quæ ab Acadamiæ præſertim ſuæ ſociis quotidie excepit epigrammata. Ad quam rem conficiendam ſymbolam ei dederunt Flaminius, Myrteus, Latomius, Fumanus, Faernus, aliique bene multi, inter quos N. qui & Caroli M. laudes, & Farinatæ Vberti, inter virture bellica claros extollit, atque Arſillum litteratos inter: datis quoque, græcam imitantibus venuſtatem, epigrammatis, quæ ad ea Jovii volumina præfationis loco veniunt. Videſis editionis noſtræ *lib. I n.* IV. & II. *n.* item IV. Verum Elogiorum nomen non eſt reticendum, quod male ætate illa litterati viri receperint; prout Mareſius ani-

animadvertit *lib. II. epist* xxv. Vide Pignorium, qui peculiari libro, quantum inter se distent *Elogia*, *Acclamationes*, *Adlocutiones*, *Conclamat. Epitbapb.&* *Inscriptiones* edisserit. Atque hoc in caussa videtur esse, cur Hippolythus Orius, qui italice reddidit volumen alterum *Virorum litteris illustrium*, pro *Elogiorum* titulo, *Inscriptionum* alium adhibuerit.

III.

Ad Scip. Capycium.

Is est Scipio Capycius, neutiquam vulgatæ laudis inter nostros, cujus memoriam ætate hac nostra revocarunt Viri Cll. Jo. Ant. Vulpius quantivis prætii Carminum, quæ per Cominum dedit, editionibus; ac Jo.M. Mazzuchellus Commentario ital. scripto: *De doctrina, & monumentis Scip. Capycii*. Hujus de amicitia cum N. inita, studiisque Neapoli simul habitis, superius dictum est. Verum opera in unum conlecta, præter libellum, *de Feudis*, edidit Ang. Mar. Riccius Cassinatis, adjecta simul itala Poematis, *de Principiis Rerum*, interpretat. & adnotationibus (omnia sat ineleganter) *Venetiis*, *an.* 1754. *in* 8. Fugit autem Riccium latina Capycii ad Jo. Franc. Palenensium Ducem epistola, quæ est cum Petri Gravinæ carminibus; aliaque ad Jo. Figuerolam, quæ præit Ant. Capycii *Decis. S.R.C.* præter quam in MSStis habeo ad Petrum Summontium, cum diversorum aliis, nuperrime detectam. Interea videsis Capycii ad Ant. Perenotum elegiam, quæ contentione quadam cum N. scripta videtur esse. An in Academia uterque idem tractando argumentum, exercitii caussa, periculum fecerunt? Nam, ubi utramque simul conferas, pari modo avaritiam exsecrari, & ex animi moderatione detestari reperies quæsitam vexandi Indos occasionem, ac reliqua passim argumenta percurri, quæ N. exolvit.

V. 3. *In patr. migr.agr. cal.* Caserta &c.

Eundem esse Casertam hunc, cum illo Jo. Francisco Casetta, ad quem M.Ant.Flaminius *lib.V. n.* 8. & *VI. n.* 20. epigrammata habet, nulli dubium est; quod hic ad agri Casertani delicias Flaminium ipsum, Galeatium Florimontium, ac Pontiettam sæpe invitaret, exciperetque alios interdum hospites viros litteris celebriores. In quo videtur imitatus Ang. Colotium Æsinatem, ex Pontani nostri Academia unum, qui Romæ disjecta Pomponianæ membra, cum primum collegerit, domi deinceps quoscunque excipiebat, ac suis sublevabat impensis eruditos viros. Nam & Colotii amicus, & apud ipsum Romæ fuisse anno nim. 1548. Caserta videtur; prout, laudibus eum extollendo, perhibet Trajanus Calcia (Pontanianæ Academ. alius), litteris ad illum datis Tarvisio: quas vide in elegantiss. J Franc. Lancellotti Colatiana editione. Utinam & quæ Pontanianæ Academiæ in unum Monumenta collegi in publicum emittere sors dederit! Sed qua ratione hunc *Caseitæ urbis munificum principem* vocet Mancurtius in *Comment. Vitæ M. Ant. Flaminii*, omnino latet: etsi nobilem virum liquet ipsum fuisse, sive de XL. Primorum (ut aiunt) antiquissimo ordine unum, *Jo. Franciscum Alois*; qui a patria *Casertæ* nactus est cognomentum. Fuit enim politioribus studiis deditus, bonisque litteris apprime informatus; cujus

cujus recensionem operum, immo de ejus vitæ, & studiis commentarium sperare nos facit in *Memorabilibus Scripp. Casertanorum* Amicus noster Jos. Daniel, Agrigentinæ Legionis Signifer, juvenis æque militaribus, quam amœnioribus studiis addictissimus. Prærerea hic ille est Jo. Franciscus Alois, qui ob sanguinis conjunctionem cum Galeatio Caracciolo, Vici Marchione, adeo in Reformatæ Religionis historia claro, extremas tandem subire miserias coactus fuit: ut videre est apud nonnullos Hist. Neapalit. scriptores.

V. 5. *Et facit, ut Camp. t.* TRYPHONEM &c.

Seu Gabrielem præclarissimi nominis ea tempestate Philosophum (qui vulgo *novus Socrates* appellabatur) natione Venetum intelligas, seu Bentium ab Assisio Tryphonem, alium non mediocris etiam famæ virum, utrumque vero non absimile est. Profecto enim si ad *magni* cognomentum, quo illum N. salutat, respicias, facile eum Triphonem Gabrielem esse arguas. Nam is quo melius rectiusque Philosophiæ se abderet studiis, Sapientiæque contemplationi dederet, quemdam in Patavino agro clivum amœnissimum incoluit. Et quidem Tryphonem hunc sæpius edocendo, etsi a cunctis illius ævi litteratis viris sapientissimus habetur, nil tamen unquam mandasse scriptis, unde *novi Socratis* communem meruerit appellationem, auctores sunt Ramnusius, Jovita Rapicius *de num. orat.* Sp. Speronius *tom.* II. *pag.* 345. Ziliolus in *Hist.* MSSra, aliique passim. Adeundus etiam est de hac re liber, cui titulus: *Dialogo della Sfera di Jacopo Gabriello. in Ven. per Gio: de' Farri* 1545. in quo Trypho hic cum Jacobo, fratris filio, de aptissimo ad omnis Philosophiæ excolenda studia solitiario vitæ genere longe lateque edisserit: atque exemplo suo ipsum a civili subducit tumultu. Quibus de causis plane constat a N. *Casertam* suum, quod æque is, integrioribus incumbens studiis, frequentissime, uti diximus, Casertanum agrum incoleret, cum Tryphone hoc comparari; Campaniamque extolli, quæ Tryphone altero gloriari posset. Contra vero, ubi Bentium, alium Tryphonem, sentias esse, verba, quæ pone secuntur, tuæ favere opinioni videri possunt: *Nobilis insignem celebrat vicinia villam: Nec caret Albana fundus & ipse sua.* Quod hic, Vmbrius cum esset, Romanæ ditionis loca fortasse plurimum inhabitaret. Quare censendum hunc in Casertano agro Bentium, cum aliis, Francisci *Casertæ* hospitem per id temporis fuisse, cum A. hos versus conscriberet.

V. 47. *Regem magna ducum &c.*

Perquam venusta tralatione.. pisces Propertio *equi* dicuntur: *Ad tua rorantes carmina flexit equos. Eleg.* I. *Lib.* III. Et secutus est Hon. Fascitellus, nobilis superiorum temporum poeta, ad homines transferens: *Regem mag.* d. Respexit autem is ad locum Plinii minoris Panegyr. *Nam priores invehi & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum.* Janus *Broukusius* ad l. Prop. cit.

V.

Ad CAROLVM V. Imp.

Epigramma hoc dedisse A. N. videtur ad Cæsarei nominis celebrationem, cum ille regressu ab Africa, atque expugnato Tuneto, Regium pri-

primum appulit, deinde per alias Regni Neap. provincias Neapolim tandem advenit an. 1537. Atque hujuscemodi fortasse epigramma putandum est in Consentina eo tractu temporum florentis. Academia publice exhibitum esse a N. cum in *Cetraro* prope Consentiam loco immoraretur. Vide Italicas ejusdem Epistolas infra num. III. & IV. Locus enim est *Cetrarus*, sive *Citrarus* Cassinatis Familiæ in ditione, cujus ex mandato N. procuratorium ibidem munus non paucis annis exolvit. Atque hinc est quare apud Consentinos τὸ αὐτόγραφον ejus carminum ante hos annos adservaretur. An studio prope Sertorii Quadrimani, qui ætate illa adolescens impiger, avidusque addiscendi concursabat ad omnes viros litteris celebriores? cujusque manu fortasse est exaratum aliud MStum brevius, quod Vir eruditiss. Franc. Daniel adhuc retinet; & in quo Thylesii Consentini multa, Bembi item, ac Casæ, FASCITELLI, aliorumque continentur? Namque is est Quadrimanus, qui ab anteactæ amicitiæ cum N. vulgata fama lectoribus facile obtrudere potuit epigramma italicum, quod ajunt, *Sonetto*, FASCITELLI nomine, minime genuinum: de quo vide nostras, ad Italicas A. res, adnotiones. Verum quidquid de hac re sit (qua nollem me a nemine vadatum esse) cessere tandem MSSta hæc viro Patricio Consentino Æmilio Sabellio Jannutio, unde Fr. Daniel laudatus accepit, quum Thylesii opera typis edenda procuravit. De amicitia demum N. cum Sertorio lib. II. num. XXVII. inferius non levia reperies argumenta.

VII.

AD RAMBERTUM &c.

De quodam Veneto adolescentulo, e nobili Barbarorum genere, qui quum ficus decerpendi gratia in arborem ascendisset, in puteum delapsus inde incolumis extractus fuit. *Jo. Ant. Vulpius*.

Fortasse, Benedictus nomine, *Rhambertus*: qui (quo tempore N. Venetiis erat) acceptis ab Ant. Thylesio litteris, juvenis indigitatur an. 1532. Quibus manifesto fit in humanis litteris eundem ei extitisse præceptorem, deinde Gabrielem illum Tryphonem, de quo ante. Sed ab his quam purissimam derivaverit latinitatem, quamvis paucæ, probant epistolæ in collectione *Epistolarum Illustrium Virorum* Manutii, alibique sparsæ. Neque minus prædicat Manutius ejus in scribendo elegantiam fuisse epistola, quacum misit ad eum M. Tullii *de Officiis* libros, novissime a se editos. Preterea, ut hic gravissimum in animi mœrorem, incidit, sive, quam dicunt, τὴν μελαγχολίαν, (de quo ipsum sublevare aliis datis litteris conatur Manutius idem) fortasse tunc longissimas terra marique peregrinationes aggressus est, quarum veluti fructum aliquem degustare nos fecit in suo *Itinere Constantinopolitano*, libello satis admodum raro. Quibus accedit testante Foscarino in *Hist. Venetæ Litteraturæ lib.* III. quod Rhambertus hic primus omnium, sive primos inter, *Inscriptionum Vett.* Collectionem instituere annisus sit, quæ in MSStis adservatur.

IX.
De Annia villa.

Vicus, italice dictus *S. Anna*, ad Massicum, in Campania, montem, qui & in Falerno agro positus est; hodiedum, *Mondragone*. Vide infra ad Cardoinum epist. n. 1. Sed hic vicus *Divæ Annæ* nomine, ut usus ea tempestate invaluit effingendi latiari pressius sermone, quæ vernacule retinebantur nomina rerum & locorum, Fascitello evasit ANNIVM rus. Præterea locus est in ditione Cassinatis Familiæ, ob eamque rem illum, quod procuratorium (ut supra dictum est) munus exerceret A. annis 1537. & infra, non injucunde inhabitasse se profitetur. Nunc ab aeris malignitate fere incolis vacuum referunt, qui eum noverunt; quod usque a Pontani temporibus defædatum esse, ejus probant verba, *lib. V. de Bello Neapolit.*

V. 3. *Fons fluens &c.*

Profecto, quæ in colle est, atque hodiedum inhabitatur ædicula a fonte ipso nomen retinet *S. Mariæ de aquis vivis*: ut quærenti mihi præcipui ex eadem Cassinate Familia viri testes fuerunt.

V. 4. *Quodque colle ha. in sacro Sacellum &c.*

Nimirum ædis sacræ appendicem intelligit; quæ *Ara* inferius vocatur. *Collem* puta Massicum promontorium, nunc *la Rocca di Mondragone*. Nam ad Cardoinum ita scribit: *Perciocchè io era ben in casa*; *quantunque nella* Rocca *non si sapesse*.

V. 13. *Imminens pelago &c.*

Hæc est, quæ prospectat in mare Thyrrhenum *Ara*; ut jure merito situm optimum in colle amœnissimo tot laudibus prosequatur! N.; In illa ad Cardoinum, ubi ait: *Come sarà qui, te parrà di vedere il Paradiso . . . . . belle fontane, e chiare fresche e dolci acque &c.* adeo ut mirifica in hac ode tot, tantæque Annii laudes Janum Broukhusim emunctæ naris virum mirum in modum delectarint.

V. 46. *Tum foco silua &c.*

Ex Tibullo Eleg. 1. lib. I. *Exiguo luceat igne focus*. Perpulchre est imitatus Hon. Fascitellvs Episc. Insul. vir multis nominibus laudatissimus tum, quæ inibi sunt plura eruditæ venustatis plenissima. *Jan. Broukhusius*.

V. 56. & seq. . . . *Cæcuba*.
Miscet, *ille Falerna* &c.

Vina, quæ sunt Flacco laudatissima, & in pertica ANNIANA colligebantur, enumerat, celebratque.

V. 67. . . . *ac pede*.
Debili sopor &c.

Pulchre Hon. Fascitellvs, poeta purus, ac nitidus, cujus ego plura extare carmina magno emerim. pulchre, inquam, *somnum pede debilem* fecit. Rationem nos docet Pausanias Eliacis prioribus, sive lib. V. Idem *Broukhus.* ad eleg. 1. lib. II. Tibulli.

V. 96. *Quod meus Fabius suo*
Cum Polo facis opt. &c.

Videsis vitæ Commentarium Card. Poli, quem Angelus M. Quirinus cum elegantissima Epistolarum ejus editione Brixiæ non abhinc multis annis evulgavit.

V. 98. 9. *Capimontio*.
Rure qui sibi &c.

Cave teneas hoc cum *Capimontio* nostro commune aliquid habere; sed illud ipsum esse putes, quod Alexandri Farnesii Card. verba ostendunt in epist. ad Paulum Jovium (Vid. inter Jovii epist. *pag.69.*): *Insomma*

ma questa vostra assenzia dalla Corte non si può sofferire, e questo vostro stare a Como non so, come vi torni. A me Gradoli, e Capodimonte non mi finiscono di contentare . . . . . Io mi sono in queste ville dimendicato in gran parte dell' ambizione. Sed de hoc Farnesio, Paulli III. P. M. fratris filio (de quo paullo post N.) multa habes inferius ad lib. II. n. I.

V. 101. *Quod* CASERTA *fa. meus*, PONTIETTA *facit &c.*

De *Caserta* vide, quæ ad Elegiam diximus. Sed *Pontietta*, qui fuerit, manifesto arguent verba, quæ secuntur: *Hic fidibus sacris, Infulaque decorus*: nimirum Jacobus Ponzettus, Cardinalis ex fratre nepos, atqne Episcopus Melphitensis; quique dignitate illa se abdicavit sub Julio III. Pont. Max. an.1553. Vid. Ughellium *Ital. Sacr. t. I. pag.* 919. Sed eruditionis ejus, Musisque datæ operæ specimen esto A. N. præconium hoc; liberalitatisque aliud apud Fr.Franchinium *Epigr.lib.V. pag.*227. fere splendidissimum.

X.
Ad ANT. PERENOTVM Card.

Communi hunc appellatione *Granvelæ* Cardinalem indigitari solitum, nemo est, qui ignoret, apud omnes illius ævi scriptores; quod is parrem habuerit Nicolaum Perenotum Granvelæ dominum in Burgundiæ provincia. Fuit a litteris melioribus non alienus, & quod magis præstat, litteratorum, qui tunc in Italia maxime florerent, existimator optimus. Tandemque multas postquam pro Cæsare Carolo suscepit in Galliam, Angliamque legationes, & pro Philippo demum Hispaniarum Rege, ejus filio, apud Belgas, Neapolim Regis vices, ut Historici omnes ferunt, obiturus advenit an. 1571.

V. I. *Quum quisquam maris &c.*

Quid sibi velit Horatiana hac ode N. non satis elucet. Ego quantum in tanto intervallo temporum conjicio, face velut prælata ab Bernardo Tasso, litteris italice ad Granvelæ Card. datis, quæ sic habent: *Ho inteso da Cano, che V. E. si è ritirata in Borgogna a casa sua, quasi in porto di quiete, e di riposo, dopo la lunga, e continua tempesta delle gravi e importantissime sue occupazioni:* puto in discessione a Belgio ei conscriptum esse carmen. Qua de re sublevari a N. videtur, ac præsenti carmine solari; qui navigantis varias apposite vices explicat, atque ope numinis portnm occupantis. Et fortasse is est regressus, quem subodoratus Hispanici Regis offensiones, pro non bene lata de dominatione in Belgas fama, Perenotus affectavit (auctore Famiano Strada *lib. IV.*); ut, simulata tædiorum curarumque caussa, philosophatus est apud amicos.

XI.
De IOVIO.

Hujusce grandioris numeri odæ mutassem utique inscriptionem, nisi receptam a Toscano, Grutero, aliisque abjicere importunum fore Lectoribus arbitrarer: nam in sequentem potius: *De studiis, ac libris Paulli Jovii*: mea quidem sententia, erat refingenda.

V. 14. *Libros Annalium &c.*

Historiæ duntaxat suorum temporum, quam conscripserat Jovius, conclusitque libris XLV. opus significat. Neque adhibitæ diligentiæ laudes supramodum effusas censeant eis li-

licebit, qui præpter alia, quæ N. enumerat, datas ab Jovio epistolas noverint ad Europæ principes viros, quo consilia, & rationes rerum describendarum resciret. Vide, inter alias, hujus epistolam ad Albæ Ducem. De quibus Jovii studiis optime judicasse quicumque ea tempestate florerent viri litterati, censeri debet; quorum sub oculis cusum est numisma, in quo ipse Historiam jacentem data dextera sublevat. Quare nec solum invide, quin & impie se gessisse adversus hunc Historiæ lumen Italicum quisque norit Jo: Bodinum: *Meth. Hist. cap. IV.* qui *rumoribus* illum *fidem habuisse* sat confidenter asserit; eique adversatur Struvius protracta in lucem epistola illius ad Polonos Principes, qua per capita eos Jovius interrogat de multis in rebus gestis adhibitis consiliis V. *Act. Litt. to. 11. pag.* 85. Verum fortuna parum arrisit tantis studiis, quæ in obsidione Romana possumdedit aliquot Historiarum Jovii libros, præter quos ipse detruncavit, ne viventes alios principes viros offenderet. Præterea, qui restant, edidit primum Torrentinus Florentiis, dein Petrus Perna Basileæ 1578. *in fol.*

V. 17. Piscator inde retibus &c.

Nimirum Commentaria ostendit, quæ *de Piscibus Romanis* Jovius item latine dedit; quæque habes in Pernæ editione.

V. 20. *Nunc inquietus &c.*

Quæ prorsus studia ejusdem arguat ad versum usque 26. haud ullo modo adsequi licet; quum in editis, quæ enumerat singillatim Ghilinus: *Teatr. degli Uom Lett.* non adpareant; nec divinare me aliquo modo posse profiteor.

V. 30. *Veras tec. Imagines &c.*

De his vide, quæ supra diximus ad epigr. num. 11. & infra sunt enucleanda num. seq.

XII.

In obitu ARSILLI Med. & P.

Hanc, non ut Jovio morem gereret (quamvis ille suis inseruerit Elogiis) oden dedisse N. sed vere *in Arsilli obitu*, documento sunt, tum quod hujusmodi cum inscriptione inter FASCITELLI carmina ediderint omnes; tum quod Jovius Pontani, Sannazarii, & si cujusvis alterius, varia de caussa nata sunt, epigrammata solitus est in illis afferre. Ceterum, quod Romæ Franciscus Arsillus Senogalliensis, qui ad 1541. proxime accessit, FASCITELLO non innotuerit, est vero prope similis rejicere notas omnes.

V. 3. *Ut plebe quivis unus &c.*

Quum medicinam (ait Jovius), *uti popularis, & pedestris ordinis medicus, ad alimenta vitæ passim exerceret*. Cujus rei, quum rationem ipse in medium vellet producere, videtur non pro meritis anteactæ cum Arsillo amicitiæ (quam testari non veretur in Elogiis) fecisse; quin potius ingenui animi virum, & pro modestia, meo quidem judicio, abstinentem carpere: quod *Vaticanam aulam, & potentium limina contumaci quadam superbia devitaret*. Nec dubium erit quin, si illius Elogia quis caute percurrerit illum ad insectandos litteratorum manes (quæ ætatis suæ existimatio communis omnibus fuit) in publicum emisisse, sit animadversurus. Videsis nostratum Calentii, Gravinæ, Gaurici, Pontani item, ac Sannazarii (quot, & quanta nomina!) subolcure tamen lædentia Elogia illa.

V. 7.

V. 7. *Seu dulci carmine &c.*

Profecto io dies velut edentem carmina Jovios illum inducit ; an ut ea flocci faceret ? vide . Contra non sic præclarissimos de illis judicium tulisse litteratos viros , quos collegit Eruditus Jan. Fraoc. Laocellottus , ioter *Testimonia ad Colotii Opera . Æsiæ* . 1772. *in* 4. omnino certissimum est . Quare ejusdem Lancellotti verbis (quæ meliora vix redderem) illorum indiculum in medium afferam ; quibus accedit Catalogus etiam operum Arsillianotum . „ Janus Vitalis , Hon. Fascitellius , & Latomius Arsilliom laudibus extollunt , ita & Giraldus in libro *de Poet. n. temp. pag.* 85. *& in pag.* 121. *de Incomm. Urb. direpr.* Jo. Philipp. Tomassinus in *Elogiis pag.* 43. . . . . . . Faostus de Longiano in lib. cui titulus: *Lett. di Div. all' Aretino to.* 1. *pag.* 202. Jo. Matth. Tuscanius in *Peplo Ital. n.* 97. Siena in *Hist. Senogalliensi pag.* 295. & alii . Præter oden lat. & lib. *de Poetis Urbanis* (qui Paulo Jovio inscriptus est) editom in *Coryciana* Romæ.1524. in 4. ac duo Epigr. in *M. Ant. Columnæ Cl. Imp. Carm. Diverf. Romæ in edib.* Jo: *Mazzocchi*. 1522. *in* 4. & aliud Epigr. in lib. Francisci Pamphili de *Laudibus Piceni*. *Maceratæ apud Sebast. Martellinum*. 1575. in 8. nusqoam alibi Arsillii edita Carmina vidi . Noo sic MSS. nam plura in scriniis meis condo , plurimaque alia vidi Romæ penes . . . . . Gasparem Arsillium ad Clem. XIII. pro patria tunc Oratorem . Codex Aotographus erat cartaceus in 4 & itidem habeotur : *De Poetis Urbanis lib. I. Epigrammatum lib. II. Prædictionum lib. II. Helvetiades* Poema. *Piscatio* opusculum unum . *Pyrmileidos lib. III. Amorum lib. III.* „ Verum ab intercutiis aquæ morbo dilapsus est e vivis Arsillus , non prætergressus LXX. ætatis suæ anoum .

XIII.

In effig. FARIN. VBERTI.

Mutare ausos fum antiquam 'hujusce epigrammatis inscriprionem , quæ *Farinatæ Uberto* in editis omnibus , atque in Vulpiana item editione legebatur . Sic enim accipi poterat , ut elogii loco (nam inter Joviana Elogia adnumeratur) epistola veniret ad eum , qui tribos jam retro sæculis, supra FASCITELLI ætatem , decesserat .

V. 2. *quum mis. casura fuerat &c.*

Hoc est , quum Farinata Imperator Florentinos cives valde perterritos, omnique dejectos spe, a diruendis arcibus, & æquanda solo Patria, ante regressum hostium potentissimorum , oon militari tantum concione, sed mirifica potius suada avocavlt. Fuit enim litteris apprime excultos, teste Philippo Villano, libro *de Viris ill. Florentinis* (quem fois animadv. e MSStis edidit Cl. Mazzuchellus Veo. 1747. in 4) atque in *Hist. Script. Florent. pag.*160. Negrio adstipulante , qui Farioatæ extare italice scripta carmina in MSStis Biblioth. Vaticanæ, ac Barbarinæ auctor est . Sed de celebritate nominis ejus, præter Dantem Alighierium in miro Poemate *Inferno Cant. X.* Historici omnes multa habent ; quorum enumerationem , ne per catalogi seriem facerem , ratio me prohibuit adnotationum .

XIV.
De Nostradamo Astrol.

Michael Nostradamus, natione Narbonensis, qui medicam artem professus, etsi nunquam in Italiam, quod ego sciam, profectus est; ab inaugurandi tamen arte, scribendisque prophetiis, multopere etiam inter nostros, inclaruit sæc. XVI. Quare a Viris præcipue principibus (populari, uti fit, aura motis) præmia, honoresque accepit plurimos, non sine stomacho meliorum. Dedit hic Gallicis rithmis prophetiarum nonnullas centurias quaternis versibus conclusarum, quæ multoties typis mandatæ sunt; scripsitque alias nulla eruditione refertas res. Denique obiit Salone annorum LXII. reparatæ salutis an. 1568. accessitque tumulo ejus titulus, qui ad insaniam propheticæ artis verius, quam ad nominis famam extollendam inscriptus videri potest. Verum a N. cui male incoquebantur perridicula hæc, epigramma istud expressum est, quod mutata aliqua vocula male tribuitur Stephano Jodello, uti sequitur: *Nostra damus, cum falsa damus &c.*

I.
Ad FARNESIVM Card.

V. 2. —— *nam pusilli*
Illud est hom. Tibullianum.

Propertianum etiam dicere poterat; nam Propertii est Eleg. lib. II. *In magnis voluisse sat est*. *Jo. Ant. Vulpius*.

V. 8. *Jam scis quod volo &c.*

Puto ad illud incitare Farnesium, de quo epigr. XIII. inferius eundem laudat, gratumque ei animum his verbis significat: *Hic cultum addidit, & decus: paremque Jussit, & similem esse me deorum*. Sed aperte notat Toscanus Pepl. *Ital. lib. III. pag.* 78. *Card. Farnesio ob ingenii elegantiam* (N. evasisse) *carum: a quo & Episcopatu honestatus est*. Nec mira esse debet (quæ nunc parum modesta videretur) FASCITELLI efflagitatio; quum usus ea tempestate invaluerit sive Episcopatu, sive aliis Ecclesiæ muneribus facili modo studia, atque artes remunerari.

II.
Ad NIC. ARDINGHELL. Card.

Florentiæ summo loco natus est Ardinghellus. Hic Romam profectus, ut optimis erat litteris, summoque ingenio prædiuus, Farnesii Cardin. amicitiam inivit; atque ei a Paullo III. P. M. a secretis delectus, datusque est comes in legationibus difficillimis ad Francifcum I. Galliarum Regem, & Carolum Imp. V. (par hostium inter se infensissimorum) pro pace expetenda. Reditu vero in Vrbem, quod negotiosa eo tempore Ecclesiæ regundæ provincia (ut tradit præcipue Segnius) ei demandata non parum ejusdem consilium, prudentiamque prædicaret, an. nim. MDXL. inter Romanos Patres adlectus est; tertioque exinde anno, intempestivo prope funere, occubuit. Scripsit de sua *Legatione* Commentarium; cujus meminit Pallavicinus *lib. Hist. Conc. Trid.* item de *Peste* librum, qui MStus in Biblioth. Vaticana adservatur, Silvestro Aldobrandinio dicatum. Sed Ardinghelli, quod ego sciam, præter italice scriptas epistolas satis paucas, quas videre est in collectionibus *Virorum Illustrium* & Pini, Jolitique, & Zucchii sparsas, nil extat, quod publici juris sit.

III.
Ad F. CORNELIVM.

Quis, qualisve hic fuerit F. *Cornelius*, diu quærenti mihi, & vestiganti succurrit nemo, præter Franciscum, ex Venetorum Cornelia gente amplissima, Cardinalem: qui ab administrandis Rei Venetorum Publ. officiis distractus, Romamque accitus a Clem. VII. P. M. Purpuræ inopinatum honorem adivit. Id quod versu 28. *Quales nunc Venetos tuos &c.* satis indicari arbitratus sum.

V. 6. *Nunc diversus abire &c.*

Lepidissimo hoc epigrammate fortasse eandem causam pertractat N. quam in alio ad Farnesium supra; ac proinde queritur, quod hic *Cornelius* (qui multa jampridem promiserat) Farnesii tandem verbis,

 ni-

nimium jocosis, fere dissuasus, animum ab ipso avertisset: quodque deprecanti saepe, ad liberandum se, reponeret, quae per jocum Farnesius de eodem commentus erat. Itaque, ut eum demulceat, atque ad priora revocet consilia, promittit a Jovio in Historiis (an in Elogiis?) ob tale commentum, quasi novum strategema aulicum, inter celebriores viros curaturum se, ut adnumeraretur:

IV.

Ad PAVL. IOVIVM.

Hoc epigramma Italice ita redditum est (Vid. Vulgo *Sonetto* Hippolythi Orii infra, inter italicas epigrammatum N. versiones) an ab ipso FASCITELLO, an ab alio illorum temporum poeta? Quae quidem interpretatio praeponitur Elogiis Paulli Jovii Virorum Litteris Illustrium de latina in Italicam linguam translatis. *Jo. Ant. Vulpius*.

Verum nulli dubium inanem evasuram omnino Cl. Vulpii dubitationem ei, qui serio illam ab Orio datam Elogiorum versionem introspexerit. Etenim non hoc FASCITELLI tantummodo epigramma, verum & alia plurima diversorum pariter ab eodem Orio nostris numeris consignata illic dignoscuntur; quare cum reliquis, ejusdem interpretationibus (Vide infra *pag* 25.) censui esse reponendum.

V.

Ad eumdem.

Scribit Jovio statim, ac Romam pervenit; pro quo nuntio studet ejus gratiam promereri.

V. 5. *A duro tibi Samnio &c.*

Nimirum, Aesernia, quae, ut in Vitae Comm. A. N. rettuli, praecipua Veteris Samnii Vrbs fuit.

V. 15. *Vectos caseolos dat &c.*

Optimae quidem naturae, praecellentisque caseus est Aeserninus, e capellarum lacte, minori utique forma, compressus, atque adhuc dum nimis expetitus.

VI.

In GIBERTVM puerum.

Is est, sine dubio, Antonius Gibertus, domo Genua, Panormitanus, Jo. Matthaei fratris filius. Qui quidem Matthaeus Clem. VII. P. M. uti ajunt, Datarius primum, dein Episcopus Veronensis renunciatus est: & cujus nemo eo tempore litteratorum gratiam aucupatum iri, atque officiis non demereri studuit. Ad hunc ergo puerum, ut M. Ant. Flaminius elegiam habet elegantissimam, non sine patrui laudibus, *lib. II. n. 9.* sic N. endecasyllabum mittit. Verum, nescio, quo casu in hac nostra editione detruncata est inscriptio, quae sic se habebat in editis omnibus: *In Gibertum summa ingenii indole puerum*.

V. 3. *Dignum Socratica instit. &c.*

De hac re videndi Ballarini fratres in Vitae Comm. Jo. Matthaei, quem editioni ejus operum *Veronae* 1733. *in* 4. praemiserunt *cap.*19. qui sic habent: *Aliquid praeterea legavit Antonio Giberto docto, & humanissimo adolescenti, quem summo studio tum in morum, tum in optimarum litterarum disciplina erudiendum curaverat*. Id ipsum Adamus Fumanus profitetur verbis elegantissimis in oratione, quam publice habuit Veronae in funere Jo. Matthaei; quae, nisi nimius in tam parva re esse velim, libens praetereo.

VII.

VII.
Ad Deos.

Nostro *Dei* sunt (quandoquidem de sinceritate hujusmodi inscriptionis *ad Deos* nullemodi dubitari potest) quotquot in urbe digniora Ecclesiæ munera summa cum auctoritate obirent; puta Cardinales, quique essent supremis in officiis, Episcopos etiam, quod supra indicatum est. Quam utique *Deorum* appellationem ad hujusmodi munerum, & officiorum in Vrbe intellectum, satis mihi arridet ab Angeli Colotii carminibus (quæ tunc per manus litteratorum omnium Romæ versabantur) mutuatum esse A. N. Namque is phaleucio, quod est *ad Giberti stellas* ait: *Quosnam vos rear esse de* DEORVM *senatu?* Immo & Colotiani carminis omnino mentem imitando exprimere Fascitellvm nullus dubito; quum in illo quæratur Æsinates de suis quoque vicibus, opemque fere supplex exoret a Giberto, aliisque principibus Vrbis viris perinde, ac N. in præsenti carmine.

V. 1. *O inter vet. & nov. Theaten, Qui me, Dii, stat. &c.*

Haud ullo modo conjectationi dari locus videbitur, quin per monumentorum inopiam vera potius præfiniri, ubi quis secum statuat A. N. Procuratorium exercendo munus, Monasterium inhabitasse per id temporis, cum hæc scriberet, *S. Liberatoris* nomine, & perantiquæ originis; quod in ditione Cassinatis Familiæ est; atque a Theate fere m. p. VI. distat, juxtaque adjacebat vico, nuperrime improviso terræ hiatu deglutito: cui nomen erat, *Montepiana*. Post cujus loci adversam vicem exploratis Monasterii monumentis compertum est, aliis retro sæculis (an circiter A.N. tempora?), ipsum diverso nomine appellatum, sive alium prope locum terræ voraginibus esse aliquando absorptum. Quo fit, ut per jocum Fascitellvs loca hæc, quæ inter novam, veteremque Theaten adjacent, aliqua ratione Scyllæ, Carybdique comparare ausus sit; ex quo fortunis ipsis fere objecerint accolas, ædes, & animantia quæque in eis sita.

V. 3. *Quam Rheæ deceat &c.*

Verba ad principes viros, qui Romæ essent, referenda sunt; quos DEORVM nomine superius indigitavit. Etenim *Rhea Silvia*, *filia Numitoris regis Albanorum*, *mater fuit Romuli*, *& Remi*, prout ex Livio *lib. I. cap. IV.* Quare ex animi magnanimitate eos (Romanam gentem) minus decere docet insolentes ab immerenti pœnas excipere, ac poetam perdere.

V. 12. *Sed freto bona ficus &c. Duci Dulichio &c.*

Nimirum notam intelligit Homeri poesim *Odyss.* M. *in fine*; quo loci Vlyssem, vivo omnium pigmentorum flore distinctum, intueri est, e vorticibus Scyllæ, una cum rate, quacum submergebatur, exiluisse; ex quo sylvicolæ ficus ramos manu teneret. Sunt qui hodiedum extare Scillæ ficum adfirmant. Verum hæc per jocum, atque allegorice dicta esse velim putes; ubi qua erat leporum, facetiarumque Fascitellvs copia affluentissimus, aperte quidem ostendit a limine usque hujusce carminis aliud verbis, aliud mente recepisse. Quæ subodorasse etiam Lucium Camarram, *de Theate ant. lib. I. cap. IV.* arguunt verba illa, cum ait: *si jocose*, *ut reor*, *non scriptum*, *haud satis capio* HON. FASCIT. *illustris poetæ*, *hendecasyllabum carmen*, *cum sub initium scribis*. *&c.*

an poetam Vestrum perdere &c.

VIII.

De Liv. Colvmnæ Rom. oculis.

Quæ casu quodam amissa sunt lumina ab Livia Columna Romana femina ampliss. deindeque venæ incisione, sanguinis dimittendi gratia, recuperata, non tantum N. quam ætatis suæ quamplures alii, uti Postevinus, Franchinus, Jo. la Vega Toletanus, aliique carminibus suis celebrare contenderunt. Accedit his, quod Amicus opt. atque eruditiss. Franc. Daniel adtestatur in manibus habuisse perrarissimam libri editionem, in quo Variorum perdolentia item, ac celebrantia vices oculorum Liviæ carmina continerentur; sed quo tempore, quove loco memoria non suppetebat. Ceterum Romana hæc femina nobilitate partim generis, partim formæ rara præcellentia adeo poetas omnes illius ævi exercuisse constat, ut præter Casæ, Bembi, aliorumque carmina, testis sit amplissimus, & non minus singularis, liber, cujus editionem procuravit Franciscus Christianus, cum hoc titulo: *Rime di diversi Eccell. Autori in vita, e in morte dell' Ill. Signora Livia Colonna. in Roma per Ant. Barri.* MDLV. *in* 8. Hunc explorare non sine animi voluptate paucis ab hinc mensibus mihi contingit,

X.

Ad eosdem.

V. 3. *Inter sidera &c.*
Videtur A. Cononis fabulam de coma Berenicis imitatus esse, quam Callimachus (ut omnes prorsus norunt) ad miraculum ea exornabat elegia, qua temporis edacitate privati sumus; cujusque gratias degustare nos facit Catullus, Fascitello adeo familiaris.

XI.

Ad Petrvm Mirtevm.

Fuit hic patria Vdinensis, poeta non incultus, qui & Jovianæ Academiæ nomen dedit, cum N. aliisque. Hujus in Elogiis Jovii (quæ supra ostendimus) non pauca continentur epigrammata, a Grutero in Deliciis CC. Poetarum Ital. numero aucta: etsi eis minus tribueret Jo. Toscanus, qui pauciora ex illis jam pridem selegerat in sua Collectione. Laudatur tamen a Gyraldo plurimum. *De poetis suor. temp. Dial.* 11. *pag.* 572.

V. 7. *Quærens quod Dominus &c.*
Haud inusitati hoc moris fuit Myrteo, nimirum exprimendi dona, aliasque res ab amicis; de quo sic Toscanus *Pepl. Ital. lib. IV. n.* 168. *In hunc Flaminius invebitur amarulento satis epigrammate, quod se ipsius consanguineum mentiretur; eoque nomine a Flaminii amicis pecunias emungeret.* Vid. Flaminii *Carm. lib.VI.n.*24. Quod vero interest nec indiligens, neque obscurus poeta hic est reputandus, qui in italica etiam poesi non sine laude exercitus est, prout epigramma ostendit (vulgo *Sonetto*) a Lud. Dolce editum in libro, cui titulus: *Rime di Diversi Ill. Sigg. Napolit. e di altri. lib.V. ediz.II. presso il Giolito.* 1552. sed hoc Marium Crescimbenium fugit in *Comm. Hist. Poesis Ital.* alias diligentissimum harum rerum investigatorem.

XIV.

Ad Lydiam.

Hujusce recordationem fecit epigrammatis (quod usque adhuc in MSStis

MSStis delitescebat) Gabriel Fiamma ab anno 1570. inter adnotationes, quas ad sua Italice scripta Carmina appinxit, laudibusque extollit. Fiammæ vero suo loco habes verba inter Vett. ac Recent. de A. N. Testimonia.

XVI.
Ad Olyben.

Etsi nemo ite inficias possit *Lybe*, *Lyba*, *Lybas* usitata esse nomina, quare facile videatur errore potius typagraphico factum *Olybe*, quasi vocali cum interjectione foret conjunctum; attamen metri ratio me monuit, quo minus *Olybes* nomenclaturam detruncarem. Phaleucium enim secundo loco dactylum omnino requirit, quod in productione interrogantis particulæ *O* non constaret.

XXVII.
ad eamdem.

Mihi persuadeo in hoc etiam Colotium esse a N. imitatum, ubi sic ille habet, pag. 47. *Vive*, *si sapis*, *Perilla*, *vive*, *Dum dies nivei &c.* quo loci Colotius ipsa conatur senii mala Perillæ præsagire. Verum an adeo *ἐναργῶς* lectoris sub oculos ponat is incommoda senectutis, fluentemque ejus facere nauseam cuique possit, prout N. videant alii.

XIX.
Ad Scip. Capicium.

De Capycio non uno loco diximus; verum de Arcella, qui aliqua cum N. conjunctus affinitate fuit (quoniam utrorumque majores cum Caracciolorum gente amplissima nuptias sæpius egerint), sic Scipio Ammiratus: *delle Famiglie Nap. tom. II. pag.* 295. ubi de Arcellis: *A' tempi de' nostri padri per favore del parentado, che aveano co' Caraccioli furono ricevuti tra' Nobili di Capoana.* Et paullo post: *Da Francesco, il quale ebbe per moglie Donna di casa di Sangro, nacque Pietro: il quale preso per moglie Ippolita d' Arena generò Camillo; a cui a' nostri dì si maritò Livia Acquaviva, sorella di Francesco Duca di Nardò, e morissi senza aver lasciato successori, nè persona del suo sangue.* Præterea Camillum hunc castra secutum, ac musarum otiis perinde operam navantem Bernardinus Rota memorat, epigrammate *ad Julium Carrafam, & Camillum Arcellam*, quod in libro legitur *Epigr. pag. 259. edit. Neap. to. II.*

XXIII.
Ad Ivl. Cæsarem.

Anne hic Julius Cæsar Caracciolus est, de quo N? Namque & poeta non incultus illis extitit temporibus Caracciolus, varia qui conscripsit Italice epigrammata cognitione digna; & fortasse propius fidem est hunc ipsum suppresso nomine heic indicari, quicum ob sanguinis conjunctionem, familiariter prope agat tali epistolio Fascitellus. Sed hæ fere sunt meræ conjectationes.

V. 9. *Cur non Brutia terra &c.*

Nimirum seu *Cetrarus*, in Bruttiis, prope Consentiam locus, ut alibi monuimus, quem significare hoc versu N. velit; sive *Insula*, in Bruttiis quoque Civitas Episcopalis, quam pro munere Ecclesiastico Fascitellus obtinuit, mea quidem sententia, æquum est, ut pro *Brutia terra* heic habeatur.

XXIV.
Ad Toledam.

Arbitratu non est difficile fuisse Tole-

Toledam, de quo N. Ludovicum de Toleto, Petri Proregis filium, adolescentem clarissimum, cultioribus que ætate illa daotem operam litteris; ad quem mittit Paullus Flavius Ælii Donati valde expetitos in P. Virgilii Æneida Commentarios: eos videlicet, quos ab Scip. Capycio edendos acceperat an. 1535. Itaque a Flavio rescivimus Hieronymum Borgiam, inter nostrates etiam, non iovenustum alium, nec inelegantem poetam (cujusque habeo in Monumentis Academiæ Pontanianæ, quæ collegi, MSSta quædam magni admodum facienda), ab hoc Toleto adhibitum esse ad litteras alacri animo primum imbibendas. Quare ab eo auditor Toletus epigramma accepit το διδασκαλικον, quod vide in satis rara Carminum ejusdem Borgiæ editione, *Venetiis 1666. pag. 268.* quamvis των σφαλματων tipograficorum conspurgatione inquinatus sit miserum in modum libellus. Verum exinde hunc Toletum, ni valde ego fallor, Jesuitarum familiæ nomen dedisse traditum est.

XXVI.

V. 6. *Quadrimanusq. ti tuns &c.*

Nulli dubium, mutato nomine, in pueros optimos jocatum esse N. præter hunc *Quadrimanum*; quem unum eumdemque Sertorium Consentioum variis de causis arbitror. Et primum, quod ex quo multum in *Cetraro*, prope Consentiam loco Fascitellus commoratus est, perquamfaciliter Sertorium juvenem tunc temporis impigrum, vacantemque litteris nosse potuit; dein quod in Brutiis etiam, Neocastri civem, discipulum habuerit Marcellum Riccium Dienium, quem memorat Jo. Jacobus Rossi in catalogo Auctorum collectionis Carminum *de laudibus Castriotæ*. Videsis, quæ dicta sunt ad lib. I. num. v. atque in Adnotationibus italicis infra de illo commemorabimus, pag. 35. & 36.

XXVIII.

Ex Græco Iuliani &c.

Extat Antologiæ Grecæ lib. VII. *num. 149. edit.* Lectii; quod Baxter epigramma, sane lepidissimum, non dubitavit Anacreonti tribuere: quamquam ipsum H. Stephanus, Tanaq. Faber, aliique Tejo abjudicassent. Verum ne Lectorem defraudare potius velim, quo per commodum is facili modo possit græcum cum latino Fascitelli comparare, ad imitatas propius dicendi veneres dignoscendas, non me pigebit illud excribere:

Στεφος πλεκων ποθ' ευρον
Εν τοις ροδοις Ερωτα.
Και των πτερων κατασχων
Εβαπτισ' ες τον οινον.
Λαβων δ' επιον αυτον.
Και νυν εσω μελων μου
Πτεροισι γαργαλιζει.

Ceterum odarii hujus mellitissimi præcipui litterati viri metricam tentavere interpretationem eadem, qua N. ætate; inter quos Pierius Valerianus, aliique. Sed anne vitio mihi vertetur adfirmanti, quod omnes infra Fascitellianos lepores, ac venustatem ad hoc se adlaborarint? Quin & manifesto fit, meo quidem judicio, superatum esse Pomponium ipsum Gauricum a N. in Græcorum interpretatione, ubi conferantur, quæ ille vertit Anacreontis carmina cum hoc auditoris sui epigrammate. Interea vide Gaurici rarissimam carminum editionem, Neap. 1523. in 8.

VA.

VARIANTES QVAEDAM LECTIONES

Ex MSto in 4. *τῷ αὐτογράφῳ*, de quo in Catalogo Operum A. N. atque alibi recurrit ſermo. Eſt autem exemplar hoc ſpiſſis ſæpe lituris notatum, varias, quas in dies A. exploderet, dictiones exhibens; quibus variantes editorum pariter librorum lectiones piaculum duxi, ſi Lectori inviderem. Atque has ego Variantes, quæ nimiam FASGITELLI ſedulitatem, diligentiamque in limandis carminibus, atque ad Romanarum aurium rotunditatem effingendis, adhibitam prædicant, valde exoptaſſem, ut Gaddio quis in manus eo tradidiſſet tempore, quo nimis inconſulto litteris mandavit de hujus Elegia: *in qua nonnullæ digreſſiones elegantiſſimæ certe, pluresque verſus eſtimandi ſunt*: quaſi, qui reſtant alii, fere eſſent rejiciendi. Itaque reſtituti ſunt in primis ex hoc MSto, atque in textum editionis noſtræ relati *verſus* 10. Elegiæ ad Capycium, cum ſequenti: *Nobilis inſignem &c.* hinc *v.* 85. cum ſequ. *Faſtidit populi &c.* pariterque *v.* 93. 4. *Et meritas homini &c.* poſtremo quatuor verſiculi ab 97. *Amplius hoc &c.* ad uſque 100., qui cum ſuperioribus omnino in editis deſiderantur.

V. 1. Habent editi libri: *Quis mihi nunc ruri non &c.*

V. 10. MStum habet mutatum non unice verſum; qui primum atramento deletus eſt, ſic legitur:

Et quæcumque vagus compita vulgus amat.

hinc, lineola ſuperinducta, denuo exploſus qui ſequitur:

Et quæcumque malum Vulgus habent ſtudia.

verum in editis ſic habetur:

Et quæcumque levis compita vulgus amat.

V. 11. In editis eſt:

Vulgus in extremis quæſita Themiſtita terris,
Cui placet incertis & Calicuta viis.

V. 19. Editi omnes:

. . . . *Scilicet a curvo miles digreſſ. &c.*

V. 21. . . . . *Curſuſque, æſtuſque perennes.*

Quæ mutaſſe verba, in *curſum æſtumq.* quo ſibilantis litteræ nimium concurſum vitaret, non eſt dubium.

V. 23. *Sic alius nobis alio micat orbe &c.*

V. 26. *Et nova poſt tanto geſtit adire ſola.*

V. 29. Legitur ſic in editis libris:

Nunc alacres properant, trepida nunc mente reſiſtunt;
Attollunt cælo lumina cum manibus.

V. 31. . . . . *paſſim tacti dulcedine &c.*

V. 35. *Illi Nereidas divina voce canentes.*

V. 45. *Pars fugit, & ſilvis ſeſe procul abdit opacis.*

V. 47. *Regem magna ducum proc. &c.*

V. 57. In MSto, lineola ſuperinducta, deletus legebatur: *Contentus parvo*: ſed in editis:

Contentus modico vitam traduxit agello.

V.58.

APPENDIX CARMINUM
HON. FASCITELLI
Ex MSStis Seripandi Card.

† EX III. LIBRO DE REB. SACRIS.

Nunc age, quam lacrimis mortales tristibus, & quam
Proficiant luctu minimum, passoque capillo
Ad tumulum, expediam. Tu &c.

Dic igitur Latias inter, celeberrima, nymphas,
Quid iuvat aeternis conrumpere fletibus ora?
Fata quid, & Divos longis onerare querelis?
Nec turba moveor. quid enim me torqueat illa?
Te, Regina, magis miror, tuaque omnia servo. 5
Nanque, alii ut peccent omnes, quot millia tellus
Sustinet, adversis fracti dum rebus aberrant,
Te nunquam tali decuit pallescere culpa,
Turbarique animo. Verum, quis credere posset?
Plebe humili, & vulgo iampridem exempta maligno 10
Tu quoque iam noctes nequicquam moesta, diesque
Erepti luges immitia fata mariti;
Nec finem lacrimis ullum statuisse videris.
Praeterea latum temnens quaecumque per orbem
Derivare queunt animum, morbumque levare, 15
Atque alio mentem miseris avertere curis:
Non modo Diis illum magnis aequare canendo
Contendis, caeloque refers, flammantiaque inter

Astra loces (magni haud dubium solamen amoris) :
Sed facis, ut primas omnis cui detulit aetas, 20
Dum terris ageret, Superis nunc additus idem
Aetherea nulli niteat regione secundus.
Ergo alacri studio, palmaeque cupidine suavi
Capta, faces puro nullas adcendis olympo,
Aeternis veteres exornans ignibus ignes 25
Per tenebras, nigraque obscurae noctis in umbra:
Quae magni possent AVALI *nomenque referre,*
Et decus egregium; Teque intabescere lento
Haud sinerent desiderio, dum crebra revisens
Ad caelum, spectare tuos iam semper amores 30
Adsuesses, curamque animi ablactare tuendo:
Insignes certo seu iam re errore moverent;
Seu tremulo adpeteres potius fulgore micanteis.
Sed Phoebi studiis, nitidaeque lepore Minervae
Freta, novum terris adfers, VICTORIA, *Solem:* 35
Atque hominum doctis demulcens questibus aures,
Pergis, & insueta mortalibus igne calefcis;
Nec luctus scis Dia modum, nec habere doloris.
Ut nemo famae miro correptus amore,
Non oculis iam te ferat, & tua; nobilis oci 40
Quacumque imperium late patet; & volat hostes
Per populos victrix Latiae vis daedala linguae:
Castigatque feros, & barbara corda coercet,
Nec sinit elabi, quamvis illi usque recusent
Ferre iugum; validaque manu, & concordibus armis 45
Italiam sine fine petant, sine more lacessant;
Et longa immanitam, duraque tyrannide vexent.
Quin adeo, o Virgo, nostris adjungere coeptis;

Et

Et iubar ad veri mecum convertere Solis:
Solis, quo nihil esse licet, nec credere maius; 50
Rerum, qui Sator est; cujus sunt omnia munus.
Ille regit nutu Superos; Ille infera Ditis
Adflictat stygiis exercens monstra sub undis;
Et iubet hunc nostrum terris effulgere solem,
Per caelum obliquis reparantem cursibus annum: 55
Et nobis dias non has modo luminis oras
Largitur; multoque aegros dignatur honore,
Seu colimus terras, seu caeli templa tuemur:
Aurea sed nostris substernens sydera plantis,
Morte obita, & tenuis defunctos munere vitae, 60
Augusta Superum reges in sede reponit.
Unde etiam Sol iste tuus, sublimis in aureo
Nunc solio, aut caelo lente spacintus aperto,
Res hominum varias, & inaneis mille labores
Deridet; vulgoque levi, & popularibus auris 65
Inludens, humilem terrarum despicit orbem;
Et stellas pedibus gaudet calcare nitenteis.
Tum vero carae lacrimis commotus amantis,
Atque hinc, atque illinc spectat, ridetque dolentem;
Et mecum omissis aliis monet omnibus aegram 70
Supremae ad radios aciem contendere lucis;
Hancque tuo adcensam suspendere lampada corde.
Nec te decipiat, quae multos lusit inanis
Plurima longai spes vitai; integra semper
Quae spacia, & serae promittit fata senectae: 75
Ab nimium fidens, nimium secura futuri;
Nam cursu in medio, dulcemque aetatis ad auram,
Saepe etiam primae florentis puppe iuventae,

 Ipsa

Ipsa haec, dum pelagi, dum magni ignara pericli
Huc, illuc aestu volitat sublata secundo; 80
Nunc madet ad Circen, nunc suaviloquas Sirenas
Stulta petit; blandisque avidas dat vocibus aures:
Interdum horrifico teretum stridore rudentum
Acta notis, canum fertur iactata per aequor,
Vi subita, & late iam tempestate coorta, 85
Et caecis tandem scopulis inlisa fatiscit.
Quaeque sibi certi promiserat ocia portus,
Et zephyros molli tendentes carbasa ponto;
Pro tuta statione, & votis rite solutis,
Scyllaeas perpessa canes, perpessa Charybdim; 90
Naufraga disiectam queritur per littora puppim,
Insano temere ventorum turbine fracta.

reliqua desiderantur.

† II.

AD GRAVELIVM.

Dum petit Alcides magno sub Iasone Colchos
Amissum toto littore flevit Hylam.
Maximus at Gallos, Italis dum finibus arcet,
Transque Alpes, Caesar, martia castra movet:
Ipse tui luges LEONARDI *fata,* GRAVELI; 5
Et tumuli ad Tanarum dona suprema paras.
Nam Nymphae, liquidas habitant quae Naides undas
Heroas, CAROLO *principe, iam rapiunt.*

III.

† III.

Ad eumdem.

Vera ergo adtulerat quondam mihi fama, GRAVELI,
Te posse, & *solum velle quoque ex animo:*
Non modo Caesareos orbi praestare triumphos
Virtute, & *sacri munere consilii:*
Sed facere, ut nullum CAROLVS *non vivat in aevum* 5
Victor, qua terras adluit Oceanus.
Id vero haud studiis aliis, aliasve per artes,
Quam dulci vatum fretus amicitia.
O te felicem, cui mentem Juppiter istam,
Et tanti tribuit commoda nosse boni! 10
Nam quisquis veterum nostras pervenit ad aures,
Cui fuerit forti gloria parta manu:
Quod superest, Orcique manus effugit avaras,
Pieridum sacris gratia sola choris.
Hae prohibent, longis ne nos carpamur ab annis; 15
Hae faciunt, multus lucis ut adsit honor.
Perge igitur, Musisque fave, Phoeboque, GRAVELI,
Et muni aeternae sic tibi laudis iter.

FINIS.

ADNOTATIONES.

Ex III. Lib. &c.

Cum hoc titulo legitur in MSto Cod. Seripandiano, de quo in *Indice Operum* N. Sed illud non eſt omittendum, quod in eo potiſſimum Codicis *quaternione*, ut ajunt, Fragmentum hoc, cum reliquis epigrammatis contineatur, in quo anteire animadvertitur ineditus Pomp. Gaurici (cujus opera quidem rara, plurimumque a me aucta, utinam edenda!) *Hymnus in Fabricium Branciam* græce exaratus, auditoriſque ſui Fascitelli manu, ut intuenti patet, exſcriptus. Deinde his, quæ pone ſecuntur, quo ad lævam legentis pagina vertit, alia manu in fronte inſcriptum, *Ejuſdem Honorati*, nimirum Fascitelli: quem, nullus dubito, titulum eis appoſuiſſe Seripandum ipſum, ad quem utriuſque carmina miſſa ſunt. Etenim diligentiſſimus is fuit, quemadmodum requirentibus manifeſto fit, omnium chartularum adſervator; quarum in averſa pagina conſtantiſſime ſcribentium, ac locorum omnium, non ſepoſitis etiam temporum vicibus, nomina praenotavit. Ceterum, ne quis Lectori ab hoc, quod fortaſſe levius argumentum exiſtimetur, ſcrupulus injiciatur, nota Fascitelli manus de ſe clamat, nota elementorum forma, quae ne latum quidem unguem a τῷ χαρακτῆρι epiſtolarum, ad ipſum Seripandum, diſcrepat: quae ſimul omnia ſecuro nos eſſe animo faciunt.

Nunc age quam lact. &c.

De quibuſcam Fascit. rebus diſputaverit ſuperioribus libris, quos deſideramus, ſive præcepta in illis adſtruxerit, incertum. Quod in promptu eſt hoc III. Lib. prout indicio ſunt verſiculi, quibus eum exorditur, de fato hominum extremo, luctuſque vanitate diſſerit; adhibito etiam teſte ampliſſimo Vict. Columna, maritum deflente, ut in ſequenti adlocutione. Sed an nimis conjectationum ſtudio dabitur, quod in ſuſpicionem me ultro abduxit, deperditum opus idipſum eſſe, de quo Scipio Capycius innuit illis ad D. O. M. verbis: *Ipſe* (Fasc.) *tuam cælo demiſſam Virginis alvo Progeniem canet;* Quamobrem videtur τον νυθετικον ex genere poematum fuiſſe opus de rebus sacris, in quo de Chriſto Deo legem ſapientiſſime dante pia verba faceret; ut aliquo modo *Zodiaco Vitæ* (ni forte fallor) Marc. Palingenii poemati alio opponeretur homo ſacer Fascit. in ejus enim libris tam parum pie ac minus honorifice de eodem Chriſto dictum eſt, ut nemo non noverit eruditorum.

Dic igit. Latias i. e. nymphas &c.

Elegantiſſimam Fragmentum habet apoſtrophen, qua Poeta Victoriam Fabritii F. Columnam, Rom. feminam adloquitur multis nominibus decantatiſſimam, de qua ſæpius alibi. Verum heic aliquid præſtat dictis ſuperaddere, ex quo tantam a N. celebrationem obtinuit: nec perperam. Nam ex quo hæc Neapolim

pri-

primum est prætervecta conjux Ferr. Franc. Avali Piscariæ Marchionis tum a generis honestate plurima, ac formæ singularis, cum a conjugis (qui Exercituum Caroli Cæs. V. Imperator erat) dignitate in oculis omnium, atque in maxima celebritate Civium fuit; ob eamque rem laudatores nacta est eximiæ famæ viros, affinem ejus, P. Columnam Card., tunc temporis Regis vices Neap. gerentem, ac Galeatium Tarsiam, præter alios, Belmontis in Brutiis dominum, qui in Neapolitana Curia supremum Magistratum exercebat. Profecto enim id moris ea tempestate fuit, ut nobiles poetæ, quemadmodum quos supra enumeravi, quamdam sibi deligerent Heroinam, carminum amorumque argumentum splendidius: sic Actius Cassandram, aliique alias præcipuam. Postremo celebrare eam studuit Fascitellus; qui incertum num illam Neapoli adhiret: conveniebat tamen, cum Victoria Romam repetiit Ferr. conjuge e vivis sublato. Verum, quamdiu hæc apud nos fuit, domi musarum domicilium habuisse invitaris celebrioribus ætatis suæ litteratis viris non est dubium; præsertimque cum *Leucopetræ* nomine (vulgo *Pietralba*) Villam in colle habitaret, qui Neapoli imminet, fuitque in ditione Piscariæ Marchionis; quo in loco S. *Ermi*, deinde castrum excitavit Carolus Cæsar: itemque in insula Inarime; illuc ubi nobiliores eam adire solitos, auctor est Paul. Iovius, *in epist. ad Hier. Scannapecum pag. 9.* inter quos emineret Actius noster. A qua litteratorum frequentia, propius ad fidem est, excitatam esse Victoriam ad musarum quæque studia cunctis viribus excolenda; id quod postea Romæ potissimum præstitit: quo loci ad eam sæpius devenirent Farnesii fratres, Polus Card. præcipue, Flaminius, Iovius, non secluso P. Bembo; quos inter, ut alias dixi, Fascit. est adnumeratus. Ceterum illud non est prætereundum in hac consuetudine litteratiss. hominum, insecutis postea temporibus, quum serpendo latius fervesceret Luteri Calvinique error, nescio quibus vitiis cum Polo, Flaminio, aliisque insimulatam esse feminam praeclarissimam, celeberrimamque: qua liberatam famæ, caussam Poli pertractans, Angel. M. Quirinus Card. præstitit, non abhinc multis annis in edit. *Epistolarum Reg. Poli. Brixiæ* 1752. *in* 4 itemque in opusc. *Injustæ secession. ab Eccles. Rom. &c. Romæ* 1550. in 4. Denique quo decesserit anno Victoria, postquam Viterbii in Virginum cœnobio se recepisset, difficile est exacte affirmare; nam, ut scribit Bullartius supremum diem obiit an. 1541. ut Iovius habet an. 1546. ut Thuanus demum, cui fides mihi videtur adhibenda, an. 1547. quandoquidem N. in *epist. ad I. B. Possevinum* eodem anno XLVII. data, de illius obitu apertum facit indicium: quem vide Parte II. *p.* 12.

v. 17. *Atque alio mentem* &c. Versus est non unice mutatus in MSto Serip. quare, lineola atramento superinducta, explosos illic habes, qui secuntur: *Et miseris alio mentem traducere fuerant*. hinc: *Atque alio a miseris mentem traducere* (*abducere*) *curis*. Quod est novum oppido argumentum, quo γνησίως Fascitelli fœtus Fragmentum hoc poematis DE REBUS SACRIS dignoscatur; siquidem alibi, ut observatum est, hunc morem servavit ipse in exscribendis Carminibus suis.

v. 35. *novum t. adf.* V: CT. *folem.* Carminibus enim suis Victoria assue-

fueverat extinctum conjugem *Solis* appellatione, continuo celebrare; quo tanti viri desiderio solaretur. Nota ejus carmina; sed præcipue illud est memorandum epigramma ad P.Bembum, quod a Lud. Anton. Muratore græcis fere præponitur: *Ahi quanto fu al mio Sol contrario il fato*, *Che con l' alta virtù* &c. V. *Perf. Poef. lib. IV.* De hujus carminum editionibus Vide M. Crescimbenium *Com. Hist. Poef. Ital.*

II. Ad GRAVELIVM.

Non alius est hic GRAVELIVS ab illo Perenoto, de quo supra ad *lib.I. num.*10. dictum est.

Dum petit Alcides &c.

Imitatus Græcorum epigrammata FASCIT. nobili exemplo Alcidis, Cæsarem laudat, Hylæque alio Leonardum Gravelium, qui ad Tanarum flumen in Liguria acerbum funus subiit. Credibile est indicare annum fortasse 1536. vergentem, cum Gallias Cæsar peteret, juvenisque adhuc Antonius Perenotus esset; quamobrem putandum Leonardum adolescentem, Cæsaris castra secutum, fratris filium fuisse, nim. Thomæ Perrenoti: qui cum in magnis honoribus esset, de *Brederodia* uxore filios nonnullos accepit. V. Pont. Heuterum, *Rer. Austriac. lib.* XIII. *c.* 3. id quod conjecturæ loco in tanta monumentorum inopia velim accipias amice Lector.

III. ad eumdem.

v. 8. *Quam dulci Vatum* &c.

Nulli dubium, ut alibi innuimus, & nostri quoque Historici passim habent, præcipuum, clarissimumque virum Perenotum musas, musarumque amicos multo favore prosecutum esse. Quibus ergo de caussis nulli mirum esse debet, si N. & Sc. Capycius, sodales fere conjunctissimi, doctis carminibus Graveli aucupandam e longinquo gratiam sibi proposuerint. V. Capycii ad Ant. Pernotum Elegiam.

R E F I N G E N D A

Pag. 51. *n.* III. Ang. Mar. Riccius *Casinas &c.*
Pag. 53. *n.* V. Neap. tandem advenit an. 1535. *Sive* hujuscemodi fortasse epigr. *&c.*

F I N I S.

LETTERE
DI
ONORATO FASCITELLO

I.

AL SIGNOR MARIO CARDOINO.

Io *ſono il più contento, ed inſieme il più diſcontento uomo del mondo. In un tratto? In un tratto. Così è. Due contrarj in un ſoggetto. Come quella botte, che in un medeſimo tempo buttava forte, e piano. Forte; che era aceto. Piano; che non ve n' era più. Il più contento ſono io; vedendo, che U. S. ſi ricorda pure de' ſuoi ſervitori. Il più diſcontento; ſentendo, che è ſtata a . . . . . e non ha ſaputo ſpingerſi un tratto di mano più innanzi. Certo non ebbe mai quel . . . . . . tante ſaettate nel corpo, quante ne ho avute io nel cuore. Or non v' era una guida? Or non un meſſo? Perciocchè io era bene in caſa; quantunque nella Rocca non ſi ſapeſſe. Che quando queſta mattina l' ho inteſo dal Signor Viceduca, che più toſto non ſono io calato giù: ne ho voluto morir di doglia. Due giorni nell' oſteria, due giorni? O Dio mio! Ma che biſogna ora ucciderme-ne? E' fatto una volta: e biſogna, che l' uomo ſi dia pace di quelle coſe, che non hanno riparo. Io ſenza altro Lunedì manderò Tuzio. U. S. ſe ne potrà venire per le Auci, che ſarà quì ad ora di deſinare. Nè ſi ſgo-*

menti dell' asprezza della strada: conciosia cosa che questa sia una lettera di Pitagora. Come sarà qui; le parrà di vedere il Paradiso. Nè le mancherà terzo per . . . . . nè belle fontane, e chiare, e fresche, e dolci acque, *nè biada in abbondanzia, per ingrassare il suo cavallo. Potrà dormire sonni lunghissimi. Avrà tanto tempo da studiare, quanto mai vorrà. Mi già la veggo balare. Non sbalacchie più per amor di me. Perdonimi, che m' è scappato; sia per non detto. Se ne potrà poi andare o a Gaeta, o a Fondi: dove sarà la Principessa, dove più a lei piacerà. Compagnia non le mancherà in ogni luogo. In tanto il suo sparviere, ed il moschetto saranno fatti: e piglieremo con essi tante quaglie; che tante non ne vorremo, e forse che non ce ne sono in queste stoppole di Sessa. O non sono grasse? Non possono volare di grassezza. Tanta l' una, vè. Verrà a mano a mano la caccia de' Cignali: e ci abbiamo i più belli corsi, i più belli mastinacci del mondo. Benchè in questa caccia, per buon rispetto, noi ce ne stiamo a veder dalla lunga. Verranno i palombi ghiandari, che n' empieremo le sacca. Verranno appresso i tordi. Poi le altre quaglie. Tante lepri, tante. O lasciate pur fare a me. Vengasene pur U. S. a pigliare una volta la possessione delle cose sue, e dapoi secondo la stagione, ne piglieremo i nostri leciti, ed onesti spessi. Se pure non bisognerà pigliare la tarca contra questo maledetto Turco, che ci interrompa i nostri disegni. Benchè in quel caso ogni fatica, che si piglierà in servigio di M. Domenedio, e di sua santa Fede, sarà a tutti di maggior diporto, che qualsivoglia passatempo mondano, e car-*

carnalaccio: al quale l' uomo allenta alle volte la briglia, per fuggir l' ozio, e schifare di far peggio. State sano Signor mio. Da Santa Anna. A' XIII. *di Luglio del* XXXVII.

Onorato Fascitello.

II.

Al medesimo.

